D

R E

In qui
pra
scie
faci

Per Io

Apud

R.P.D. ANTONINI

D I A N A

PANORMITANI,

Cler. Reg. & S. Officij in

Reg. Sicil. Consultoris,

RESOLVTIONES

Morales in Compendium redactæ, & in ord. alphab. digestæ:

In quibus lectissimi quique & ad praxim maximè spectantes conscientiæ nodi pari breuitate, ac facilitate dissoluuntur.

Per IOAN. DE LA VAL BELGAM, *S. Theologiæ Doctorem.*

LVGDVNI,

Apud IACOBVM CARDON.

M. DC. XXXIV.

CVM PRIVILEGIO.

NOs infraſcripti S. Theologiæ Doctores, fidem facimus, perlectum à nobis librum qui inſcribitur, *Compendium reſolutionum moralium* P. ANTONINI DIANA, à IOANNE DE LA VAL BELGA collectum, omniáque in eo fidei Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ conſentanea reperta. Lugduni die 21. Decembris, 1633.

Fr. STEPHANVS MOLIN
Carmelita.

Fr. CLAVD. COCHET,
Ord. Prædic.

A 2 *Sum*

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

REGIS Christianissimi priuilegio dato Parisiis 1. Februarij 1634. cautum est, ne quis in Prouinciis suæ ditioni subiectis, præter IACOBVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut de illius facultate, Opus hoc, cui titulus est, *Compendium resolutionum moralium* P. ANTONINI DIANA, à IOANNE DE LA VAL BELGA collectum, intra decennium, à die editionis primæ computandum, mandare typis queat, sub pœnis in eò contentis.

De mandato Regis.

Signatum,

RENOVARD.

SERIES Titulorum.

H

I

L

Reſtitutio.
Reus.

S

Sacramenta {
- *Baptiſmus.*
- *Confirmatio.*
- *Euchariſtia.*
- *Pœnitentia.*
- *Extr. Vnctio.*
- *Ordo.*
- *Matrimonium.*

Scandalum.
Simonia.
Sodomia.
Sterilitas.

T

Teſtamentum.

Testis.

V

Virgo.
Votum.

ABORTVS.

1 NOn licet fœminæ prægnanti, etiam ante fœtus animationem, procurare abortum, ad vitandum periculum vitæ, vel grauis infamiæ. Tamen si post fœtus animationem mater periculosè ægrotaret, nec vllum aliud esset remedium, posset ei præberi medicamentum, directè tendens ad curationem, licet indirectè, & per accidens sequatur mors fœtus; quia mater ius habet ad tuendam vitam per eiusmodi medicamenta. Si verò conclamata sit salus matris, & fœtus, possunt applicari remedia ad salutem matris, licèt cum interitu fœtus. 3. *part. tract.* 5. *Misc. res.* 11. *pag.* 181. 182.

2 Mulieres ſtatim mingentes poſt copulam, ad impediendam conceptionem, peccant contra ordinem naturæ, & generationis. *ibid. reſ.* 15. *pag.* 183.

Abſolutio ab hæreſi, & aliis delictis pertinentibus ad Tribunal S. Inquiſitionis.

1 Confeſſarius virtute alicuius Iubilæi non poteſt ab hæreſi occulta abſoluere pœnitentem, modò non ſit purè mentalis: nam ob eiuſmodi hæreſim non incurritur excommunicatio. Sic habet ſtylus Curiæ Rom. & ita fuit à Gregor. XIII. declaratum. 1. *part. tract.* 5 *reſ.* 1. *pag.* 86.

2 Ne Epiſcopus quidem poteſt vi Concilij Trident. hæreticum occultum abſoluere, quia per Bullas Cœnæ ſubſequentes, hæc facultas

cultas Epiſcopis adempta eſt. *ibid. reſ.2.pag.86.*

3 Sacri tamen Inquiſitores poſſunt abſoluere ab hæreſi, non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ; ita vt quilibet Inquiſitor poſſit eandem facultatem cuilibet Confeſſario impertiri. *ibid.reſ.3.pag.87.*

4 Hæreticus occultus, qui non potuit ab Epiſcopo, ſeu Inquiſitore obtinere abſolutionem, ad maiorem Pœnitentiarium Romam mittat. Poteſt interim ad vitandam infamiam, aut ſcandalum, ſi ſacerdos eſt, celebrare; ſin autem laicus, Euchariſtiam ſumere, eliciendo priùs actum contritionis. At ſi ſe id poſſe diffidit, confiteatur, & à Confeſſario abſoluatur. *ibid.reſ.4.pag.87.*

5 Poteſt quilibet Confeſſarius, immò quilibet ſacerdos, etiam præſente Confeſſario approbato, & Confeſſarius approbatus præ-

ſente

ſente alio ſuperiore,abſoluere hæreticum in articulo mortis; tunc enim ceſſat omnis reſeruatio caſuum,& cenſurarum.Debet tamen ægrotus, ſi ſuperuixerit, ſe ſiſtere Epiſcopo,vel Inquiſitori,vt denuò abſoluatur.*ibid.reſ.5.p.88.*

6 Prælati regulares non poſſunt ab hæreſi occulta ſuos ſubditos abſoluere. Poteſt tamen hæreticus regularis non ſolùm ab Inquiſitore abſolutionem obtinere, ſed ex licentia ſuperioris ſe ſubiicere Epiſcopo, & ab illo (iuxta quorumdam Doctorum ſententiam) ab excommunicatione occultæ hæreſeos abſolui, etiam renitente ſuperiore.*ibid.reſ.6.p.89.*

7 Crimina ſpectantia ad Tribunal ſanctæ Inquiſitionis ſunt ſortilegium, maleficium, ſuperſtitio, magia,adoratio Dæmonum, ſollicitatio in confeſſione, blaſphemia hæreticalis, lectio librorum hæreticorum, defenſio eorum, &

id

id genus alia, quæ ſi quis committat, modò non habeat errorem in intellectu, & de rebus fidei bene ſentiat, poterit (vt plerique cenſent) à quocunque Confeſſario virtute Bullæ Cruciatæ abſolui; hæc enim Bulla ſolam excipit hæreſim. *ibid. reſ. 7. pag.* 89.

8 Item Regulares vi ſuorum priuilegiorum poſſunt (vt nonnullorum fert opinio) abſoluere ab iiſdem caſibus Inquiſitioni reſeruatis, modò abſit hæreſis: ſi enim poſſunt abſoluere à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, quidni poterunt à reſeruatis inferiori Tribunali? Author tamen nihil definit. *ibid. reſ.* 8. *pag.* 90.

9 Hæreticus iam iamque comburendus, tametſi ante mortem non fateatur publicè veritatem, poteſt abſolui: neque vllum inde exiſtit ſcandalum, cùm nemo neſciat ſolere reos crimen negare, quod tamen plerunque ſacramen-

taliter

taliter sacerdoti confitentur. *ibid.*

Absolutio Moribundi.

1 MOribundus qui nutibus tantùm petit à Confessario absolutionem, est absoluendus. Ratio est, quia si necessitas facere potest, vt mutila confessio interdum sufficiat ad sacramentalem absolutionem obtinendam, cùm integra fieri nequit; sanè poterit eadem necessitas facere, vt sufficiat confessio facta in genere de propriis peccatis, quando ad speciem, & numerum descendi non potest. Neque Deus à nobis exigit aliam confessionem, quàm quæ nobis hîc, & nunc possibilis est. *part.3.tract.3.res.1.pag.70.*

2 Moribundus, qui vsu sensuum amisso pectus tundit, oculos ad cœlum tollit, & alia edit pœnitentiæ signa, est absoluendus sub conditione, licet dubium sit, num

hæc

hæc ſigna ex dolore, an ex mortis anguſtiis oriantur : Quia in illo articulo hæc pectoris tunſio cenſetur tacita confeſſio peccatorum. Idem dicendum de eo qui genibus ſacerdotis aduolutus, peccata confeſſurus ſubita apoplexia corripitur. Si tamen id contingeret ſacerdoti in fine introitus, qui ſano corpore Miſſam inchoaſſet, nõ videtur abſoluendus, quia illa generalis confeſſio non fuit ſacramentalis. *ibid.reſ.*2. & 3. *p.* 71.

3 Moribundus qui abſente Confeſſario confeſſionem petiit, vel ſigna pœnitentiæ dedit, aliquo id teſtante, eſt ſacramentaliter abſoluendus. Quia hoc ipſo quod petit ſacerdotem, & oſtendit ſe dolere de peccatis, ſanè fatetur ſe peccaſſe, petitque vt adſtantes tanquam ſuæ voluntatis interpretes id ſacerdoti renuntient, adeóque pro ſe abſolutionem petant:

neque requiruntur plures testes, vnus sufficit. *ibid.res.4.& 5.p.72.* 73.

4 Si verò testes absente infirmo sensibus destituto, renuncient sacerdoti illum petiisse confessionem, vel signa contritionis ostendisse, non potest sacerdos illum sacramentaliter absoluere, etiamsi adhuc viuum inueniat. Quia moribundus confitetur per nuncium absenti sacerdoti, quæ confessio, Clementis VIII. Decreto damnatur: cum enim confessio sit actus personalis, neque sacerdos potest absoluere absentem, neque pœnitens confiteri absenti. *ibid.res.7.p.* 74.

5 Si sacerdos excepit confessionem alicuius in mortis periculo constituti, nec illum absoluit, & paulò pòst superueniens inuenit illum sensibus destitutum, viuum tamen, potest illum absoluere, dummodo non constet

constet ægrum mutasse voluntatem. *ibid. res. 5. p. 73.*

6 Si infirmus amisso rationis vsu, nullum antea dedit pœnitentiæ signum, nullo modo est absoluendus, licet alioquin bene vixerit. Quia absolutio est actus iudicialis; at iudicium non exercetur, vbi nulla præcessit accusatio; ergo. *ibid. res. 8. p. 75.*

7 Notandum in casibus supradictis, in quibus dictum est moribundum posse absolui, sacerdotem non tantùm posse, sed etiam ratione charitatis teneri illum absoluere. *ibid. res. 9. p. 76.*

Aduocatus.

1 ADuocatus non tenetur de culpa leui: quia nemo tenetur in officio esse prudentior, & diligentior quàm passim homines eiusdem conditionis esse solent; & ideo Aduocatus non tenetur esse

cautior,aut diligentior quàm passim boni Aduocati esse solent: vnde si contingat eum causâ cadere, eo quòd non præstitit, quod doctissimus, & diligentissimus præstitisset, tamen bona fide præstitit, quod solent diligentes, & docti in similibus causis, non tenetur ad restitutionem. 2. *par. tract.* 1. *Miscell. res.* 59. *pag.* 70.

2 Potest in foro conscientiæ cliens pacisci cum Aduocato de quota lite; & quando abest præsumptio fraudis, cessat obligatio legis id prohibentis. Quare qui iustam causam Aduocato probo committit, potest in conscientia illi promittere tertiam, aut quartam lucri partem, ad exacuendam eius industriam, & diligentiam, & vt se liberet molestia sæpiùs illum adeundi. *ibid. tract.* 2. *Miscel. resolut.* 49. *pag.* 95.

Æquiuocatio.

POteſt aliquis ex iuſta cauſa abſque mendacio aliqua verba vſurpare; etiamſi ex ſua ſignificatione non ſint ambigua, & in alium ſenſum detorquere aliquo addito mente proferentis retento, non quidem ad fallendum, ſed ad occultandam veritatem, quam non expedit manifeſtare. Sic Sacerdos interrogatus de peccato in confeſſione audito, poteſt reſpondere ſe nihil tale in confeſſione audiſſe, ſubintelligendo tanquam priuatum hominem. Item, qui aliqua bona abſcondit ſibi neceſſaria, ne à creditore capiantur, & ſic cogatur mendicare, poteſt interrogatus à iudice iurare ſe nulla habere abſcondita, ſubintelligendo quæ manifeſtare teneatur. Item poteſt Confeſſarius proferre verba abſolutionis abſ-

que intentione, ad fugiendam mortem sibi à pœnitente intentatam, ni absoluat. Item potest quis iurare latroni daturum se pecunias absque intentione dandi, vtendo hac retentione mentali: *dabo si tenear*. Item adultera rogata à marito an adulterium admiserit, potest negare, concipiendo mente alium diem ab eo quo illud admisit. Item veniens ex loco qui falsò creditur peste infectus, rogatus potest iurare se inde non venire, subintelligendo tanquam ex loco pestilenti, &c. Eiusmodi autem æquiuocationibus vti addito etiam iuramento absque causa, non est peccatum mort. quia huic iuramento deest sola discretio, seu iudicium, modò ne id fiat in fraudem tertij. 3. *part. tract.* 6. *Miscell. res.* 30. *p.* 233. 234. 235.

Bene

B

BENEFICIVM.

1 PATRONVS laicus qui non est primus fundator Beneficij, non tenetur sub peccato mort. præsentare digniorē, etiam quoad beneficia curata: quia Concil. Trid. vult præsentatos examinari, & in Parochialibus iurispatronatus Ecclesiastici eligendum esse digniorem ab approbatis examinatoribus in concursu. 2. *part. tract.* 1. *Miscell. ref.* 37. *p.* 58.

2 Omnia beneficia quæ curam animarum non habent, possunt conferri dignis, prætermissis dignioribus: Concil. enim Trid. sola episcopalia, & curata beneficia decernit dignioribus esse conferenda. *ibid. ref.* 38. *p.* 58. 59.

3 Episcopatus, & alia beneficia curam animarum habentia, sunt

dignioribus conferenda, in concursu competitorum; alioquin violatur iustitia distributiua, & committitur peccatum acceptionis personarum. Qui verò ius habent conferendi beneficia per prouisionem liberam, vt Reges, & Sum. Pontif. non tenentur eligere digniores, nisi sint in promptu, sed sufficit, si eligant dignos. *ibid. res.* 40.*p.* 59.60. Qui verò resignat, potest resignare digno cui voluerit; hîc enim nullus est concursus, & collator acquiescendo resignationi non peccabit. *res.*41.

4 Regulares tenentur ad prælaturas eligere digniores: sunt enim prælaturæ regulares beneficia Ecclesiastica, curam animarum habentia. Quòd si ad solum Generalem pertinet electio superiorum, debet eligere digniorem, vel æquè dignum, post sufficientem, & exactam diligentiam circa cognitionem personarum. *res.*61.*p.*70.

5 Ecclesiastici valde nobiles, aut insignis eruditionis, cæteris paribus, possunt plus aliis minus nobilibus, aut minus doctis, insumere ex redditibus Ecclesiæ; debent tamen sumptus esse moderati, vt non excedant decentem Ecclesiasticorum modestiam. Vnde sequitur Principum filios non posse tantum expendere de bonis Episcopatus, quantum possent de bonis patrimonialibus; nam alia sustentatio conueniens est Principi sæculari, alia Ecclesiastico. *ibid. tract. 2. Misc. res. 26. pag. 86.*

6 In Religionibus ante electionem Prælatorum haberi possunt tractatus consultorij, vt sciatur quis sit dignior, vel dignissimus; tractatus autem ambitiosi, pactionales, conditionales, &c. omninò sunt eliminandi. *ibid. res. 37. p. 90.*

7 Qui Beneficij Ecclesiastici collatorem iam determinatum ad conferendum alteri, precibus vel

muneribus inducit,vt ſibi vel amico minus digno conferat, non tenetur ad reſtitutionem : quia relinquit collatorem in ſua libertate, neque facit iniuriam alteri, etiamſi ex odio id faciat ; quia odium non eſt peccatum contra iuſtitiam, ſed contra charitatem. *3.part.tract.5.Miſcell. reſol.53.pag.* 199.

8 Qui ſe agnoſcit minus dignum, poteſt ſe offerre ad obtinendum beneficium, relinquendo totum iudicium electori,ſiue collatori. Si autem in concurſu eligatur prætermiſſo digniori, poteſt beneficium,aut cathedram acceptare. Cæterùm in concurſu poteſt aliquando eligi dignus relicto digniori. 1. Si dignior eſt extraneus. 2. Si minus dignus eſt acceptior. 3. Si dignior eſt implicatus negotiis externis. 4. Si eſt periculum, ne eligatur indignus. 5. Si minus dignus ſit magis

magis expertus. Item Patronus laicus poteſt præſentare minus dignum, relicto digniore. *ibidem, reſol.*110. *pag.*221. Examinatores autem non tenentur indicare digniorem, niſi Epiſcopus id poſtulet, vt faciat electionem Eccleſiæ vtiliorem. *ibid. reſ.* 111. *pag.*221. 222.

9 Ad obtinendum ſimplex beneficium, ſufficit annum 14. eſſe inchoatum. *ibid.tract. 6. Miſcell. reſol.*64.*pag.*250.

Bulla Cruciatæ.

1 POteſt quis frui gratiis, & indultis per Bullã Cruciatæ conceſſis, extra regna, vbi Bulla non promulgatur; excepto eſu carnium, & lacticiniorum. *part.* 1.*tract.*11.*reſ.*1.*p.*191.

2 Qui habet Bullam Cruciatæ, non tenetur tempore interdicti audire ſacrum. Quia nemo tenetur

tur vti priuilegio ſibi conceſſo, alioquin non eſſet priuilegium ſed onus. Si tamen audiat, tenetur ſub veniali preces ad Deum fundere pro vnione Principum Chriſtianorum ad infideles debellandos. *ibid. reſol.* 2.

3 Per priuilegium huius Bullæ licet in ieiuniis alicuius Iubilæi vti lacticiniis. Quia Iubilæum non requirit ſtrictius ieiunium quàm ieiunium Quadrageſimæ. *ibid. reſ.* 3. *p.* 191.

4 Cui per priuilegium Bullæ licet edere carnes, cenſetur diſpenſatus à ieiunio. Quia abſtinentia à carnibus eſt de ſubſtantia ieiunij. *ibid. reſ.* 4.

5 Regulares, & Preſbyteri ſæculares ſuſcipientes Bullam, poſſunt diebus Dominicis Quadrageſimæ vti lacticiniis. Quia ſecundum ius commune Dies Dominici non appellantur Dies quadrageſimales. *ibid. reſ.* 5.

6 Non

6 Non eſt neceſſe vt qui ſuſcipit Bullam ad conſequendas indulgentias, ſit in gratia, quia Bulla hoc non dicit. *ibid. reſ. 6.*

7 Confeſſarius approbatus in vna diœceſi, poteſt per Bullam in alia confeſſiones audire abſque noua Ordinarij loci approbatione, & poteſt à quocumque eligi in Confeſſarium: Bulla enim aliud non requirit, niſi vt Confeſſarius ſit ab Ordinario approbatus. *reſol. 7. pag.* 193. Immò qui habet beneficium curatum, poteſt vbique eligi in Confeſſarium, beneficio Bullæ: quilibet enim habens curam animarum, per Concil. Trident. eſt abſolutè approbatus. *reſol.* 8.

8 Approbatus ab Epiſcopo cum limitatione, ad confeſſiones virorum, non autem mulierum, poteſt nihilominus eligi priuilegio Bullæ, non ſolùm à viris, ſed etiam à fœminis: quia hic Confeſſarius

eſt

eſt ſimpliciter approbatus ; illa autem limitatio non fuit appoſita ex defectu ſcientiæ, ſed ætatis. *reſ.* 9. *p.* 193. 194.

9 Confeſſarius in vno tantùm oppido ex defectu ſcientiæ approbatus non eſt per Bullam eligibilis : quia eſt approbatus cum reſtrictione propter inſufficiẽtiam, vt qui eſt approbatus ad audiendas confeſſiones puerorum, & ruſticorum tantùm. *reſol.* 10. *p.* 194.

10 Qui ad certum tempus eſt approbatus, tranſacto illo tempore per Bullam eſt eligibilis : cenſetur enim ſimpliciter approbatus, niſi poſtea ex cauſa ab ordinario reprobetur. *reſ.* 11. At ſi non ex propria culpa, neque ex crimine inducente infamiam, ſed ex maleuolentia ordinarij, ſeu officialis, aut propter inobedientiam arcetur à confeſſionibus audiendis, probabile eſt illum virtute Bullæ eſſe eligibilem. *reſ.* 12.

11 Confeſſa-

11 Confeſſarius regularis ab Epiſcopo approbatus, ſed à ſuo Prælato prohibitus, eſt eligibilis per Bullam Cruciatæ, niſi habeat alios defectus: quia habet poteſtatem Ordinis, & iuriſdictionis: neque peccabit mortaliter ſic abſoluens, niſi ex vi ſuarum Conſtitutionum obligetur ad peccatum mortale. *reſol.* 13.*pag.*194.195.

12 Regulares non poſſunt ſine licentia Prælatorum, virtute Bullæ eligere Confeſſarium, qui illos à cenſuris, & caſibus reſeruatis abſoluat, niſi ille Confeſſarius ſit ex approbatis, & deputatis ab eorum Prælatis, ad eorum confeſſiones audiendas; alioquin corrueret diſciplina regularis. Extat Vrbani VIII. Bulla, qua declarat non poſſe Regulares virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confeſſarium extra ordinem pro caſibus reſeruatis. *reſ.*14.*pag.*195.196. Nouitij tamen poſſunt ſumere Bullam,

&

& virtute illius ſibi Confeſſarium eligere ad caſus reſeruatos,& edere lacticinia ſicut cæteri ſæculares ; non enim quoad onera cenſentur religioſi.*reſ.*15.*pag.*196.

13 Qui peccat ob ſpem abſolutionis virtute Bullæ obtinendæ, gaudet illius priuilegio. Idem dicendum de Iubilæo.*reſ.*16.

14 Poteſt quis per Bullam abſolui à cenſuris & caſibus reſeruatis ante, & poſt ipſius ſuſceptionem incurſis. Idem dicendum de votis ſeu commutandis, ſeu diſpenſandis. Quia verba Bullæ ſunt generalia,neque reſtringenda.*reſ.*17.

15 Qui virtute Bullæ eligit Confeſſarium, & ficté confitetur peccata reſeruata, ita vt eius confeſſio ſit irrita, poteſt à quocumque Confeſſario abſolutionem ab illis obtinere ; quia cenſetur reſeruatio ſublata. Deinde virtute Bullæ poteſt quis abſolui à caſibus reſeruatis extra confeſſionem, ergo

go ad tollendam reſeruationem virtute Bullæ non requiritur, vt confeſſio ſit valida; quare ſic abſolutus poteſt deinde illa peccata reſeruata cuilibet Cõfeſſario approbato confiteri, & ab eo validè abſolui. *reſol.* 18. *pag.* 196. 197.

16 Peccata reſeruata in confeſſione per obliuionem omiſſa, poſt adhibitam ſufficientem conſcientiæ diſcuſſionem, virtute Bullæ non remanent amplius reſeruata: quia licet pœnitens explicitè non petat abſolutionem à reſeruatis; cenſetur tamen interpretatiuè petere, quia venit ad confeſſionem eo animo, vt ab omnibus peccatis abſoluatur: quapropter Confeſſarius cenſetur hîc & nunc velle eum ab omnibus peccatis, quoad poteſt, abſoluere, & conſequenter tollere reſeruationem. *reſ.* 19. *pag.* 197.

17 Per Bullam Cruciatæ datur facultas eligendi Sacerdotem, qui

poſſit ſine licentia Parochi conferre hæc tria Sacramenta, Pœnitentiam, Euchariſtiam, & Extremam Vnctionem. *reſol.* 20. *pag.* 198.

18 Commutatio votorum quæ fit virtute Bullæ, fieri debet in eleemoſynam ad ſubſidium temporale belli contra infideles, ſaltem ſecundùm partem: Tamen vota pauperum commutari poterunt in ſubſidium aliquod ſpirituale, cuiuſmodi ſunt orationes ad bellum illud promouendum. *reſ.* 21.

19 Qui vigore Bullæ fuit abſolutus ab excommunicatione ſine ſatisfactione partis, fuit validè abſolutus; tenetur tamen ſatisfacere. *reſol.* 22. Quod ſi non poteſt ſatisfacere in totum; ſatisfaciat in partem; & ſi non poteſt ſatisfacere ſine graui iactura famæ, vel bonorum, poteſt licitè abſolui, modò creditor non patiatur
æquale

æquale damnum. In his autem, & eiuſmodi caſibus, in quibus non poteſt pœnitens ſatisfacere, non ſufficit vt det cautionem iuratoriam, ſed debet dare ſaltem fideiuſſoriam. *reſ.* 24. *pag.* 199.

20 Licet percutiens clericum vel monachum, faciat iniuriam toti Eccleſiæ, vel monaſterio, tamen ſatisfaciendo percuſſo, cenſetur ſatisfacere parti; atque adeo virtute Bullæ poteſt abſolui: quia eius eſt condonare, quem præcipuè tangit iniuria. *reſ.* 23.

21 Virtute Bullæ poteſt quis extra confeſſionem à cenſuris abſolui. Idem dicendum de Iubilæo. Quia nulla eſt neceſſaria connexio inter abſolutionem à peccatis, & abſolutionem à cenſuris; & ſæpe vſuuenit, vt pœnitens non ſit paratus vt ſtatim confiteatur, & tamen expediat illum ſtatim à cenſura abſolui. *reſ.* 25.

22 Nominatim denuntiatus, vel

publicus percussor clerici, vel alius, cuius excommunicatio deducta est ad forum contentiosum, potest virtute Bullæ absolui; quæ tamen absolutio valebit tantùm in foro interiori; nam ità absolutus debebit se gerere in publico tanquam excommunicatus ad vitandum scandalum: poterit tamen priuatim Missam audire, sacramenta obire, &c. Quod intelligendum est de censuris ab homine latis, super quas asserit summus Pontif. non cadere absolutionem virtute Bullæ in foro exteriori; vnde infertur absolutionem virtute Bullæ à censuris à iure latis, valere etiam in foro exteriori, & iudiciali. *res. 26. pag.* 200.

23 Probabilius est per Bullam Cruciatæ non esse dispensabilem irregularitatem omnem prouenientem ex delicto: quia eiusmodi irregularitas non includitur

sub

ſub nomine cenſuræ, à qua licet per Bullam abſoluere. Contraria tamen ſententia non caret probabilitate. *reſ.*27.*pag.*200.201.

24 Confeſſarius per Bullam Cruc. poteſt abſoluere à quibuſcumque caſibus ſummo Pontif. reſeruatis, non ſemel, ſed toties quoties, dummodò tamen ſint occulti; quia iam non ſunt reſeruati Summo Pontifici, ſed iure ordinario competunt Epiſcopis, vt definit Concil. Trident. Reſtrictio autem illa, quæ eſt in Bulla (*ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis*) poſita eſt quoad caſus publicos; quia Bulla ſolos caſus excipit Pontifici reſeruatos, at caſus occulti iam non ſunt Papales, ſed Epiſcopales. *reſ.*28.*pag.* 201.

25 Poteſt Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ abſoluere à caſibus contentis in primo canone Bullæ Cœnæ: quia excipitur ſola

hæresis formalis. *res.29. pag.*201. 202. Quare absolui possunt legentes libros hæreticos, non tamen animo hæretico; de libris chiromanticis & magicis non est dubium, cùm non sint hæretici. *res.30.pag.*202.

26 Qui legit librum hæretici auctoris, qui non tractat de religione ex professo; vel librum auctoris Catholici cum scholiis, & commentariis hæreticorum, non videtur incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ; ita vt per Bullam Cruciatæ sit absoluendus. *resolut.*31.32. Neque qui audit legentem librum hæreticum; audire enim non est legere, & verba legis pœnalis sunt accipienda in propria significatione.*res.*33. Neque qui legit epistolam alicuius hæretici, in qua hæresim doceat, aut aliam chartam solutam, nec in formam tractatus redactam. *res.34.pag.*203. Nec qui legit librum

brum hæreticum in Gallia, Anglia, aut alibi, vbi Bulla Cœnæ non eſt recepta. *reſ.* 35. Neque ſi quis Latinæ linguæ rudis, aut illius idiomatis, quo liber hæreticus conſcriptus eſt, illum legat, incurret excommunicationem; nam lectionem comitari debet intelligentia verborum, alioquin ea lectio nihil habet periculi. *reſ.* 36. Neque qui libros hæreticos comburunt propria auctoritate, nec Inquiſitoribus tradunt: quia dum illos comburunt, non retinent. *reſol.* 37.

27 Qui imponunt gabellas ſuper rebus quæ emuntur, non ad negotiationem, sed ad vſus vitæ neceſſarios, non incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ita vt ſint priuilegio Cruciatæ abſoluendi: quia hæ gabellæ non ſunt iniuſtæ, cùm in illis, quantum fieri poteſt, ſeruetur æqualitas. *reſ.* 38. *pag.* 204.

28 Vt per priuilegium Bullæ possint vota commutari, non requiritur aliqua iusta causa; quia hoc priuilegium confertur cum onere dandi eleemosynam in subsidium belli contra infideles. *res.* 39. Potest autem hæc commutatio fieri in minus bonum, alioquin nullum esset priuilegium Bullæ; non tamen in longè minus. *res.*40. *pag.*205. Nec tantum vota, sed etiam iuramenta soli Deo facta, virtute Bullæ commutari possunt. *res.*41. Non tamen potest Confessarius priuilegio Bullæ vota dispensare: quia maior potestas requiritur ad dispensandum, quàm ad commutandum. *res.*42.

29 Potest Confessarius beneficio Bullæ commutare vota iuramento firmata: quia licet votum, & iuramentum sint duo vincula specie diuersa; tamen moraliter, & in ordine ad Deum, & ad virtutem

tutem religionis, cenſentur quaſi vnum vinculum. *reſ.*43.

30 Peccaret Confeſſarius, qui ſine iuſta cauſa nollet virtute Cruciatæ commutare vota pœnitentis: eſſet enim infidelis diſpenſator, quippe debet vti priuilegio ſibi conceſſo in fauorem pœnitentis. *reſolut.* 44. *pagina* 206.

31 Commutatio votorum per Bullam Cruciatæ extra confeſſionem ſacramentalem fieri poteſt. *reſ.*45.

32 Si quis iurauerit ſe, v.g. nunquam in poſterum alea luſurum, aut ſi ludat, ſe certam pecuniam eleemoſynæ nomine daturum, poteſt vi Bullæ Cruciatæ obtinere diſpenſationem etiam quoad pœnam pecuniariam ex iuramenti, ſeu voti violatione incurſam: quia pœna illa non debetur niſi ex vi iuramenti, ſeu voti: ergo facultas conceſſa ad commutandum

votum, extenditur etiam ad pœnam. *resol.* 46.

33 Potest vi Cruciatæ commutari votum emissum in fauorem tertij, v.g. sacelli alicuius, vel pauperum, dummodò illud non fuerit acceptatum: quia eiusmodi votum non tribuit vllum ius iis, in quorum fauorem fuit emissum. *resol.* 47.

34 Ad commutandum votum in bonum æquale Confessarius non indiget priuilegio Cruciatæ. *res.* 48.

35 Possunt per Bullam Cruciatæ commutari vota post Bullam susceptam emissa, etiamsi quis fecisset votum de non petenda commutatione. *res.* 50. 51. *pag.* 207.

36 Potest Confessarius in finem anni differre commutationem voti, etiamsi annus Cruciatæ transeat, dicendo pœnitenti; Commuto tibi hoc votum in id, quod

postea

poſtea iudicauero tibi iniungendum; nec peccabit pœnitens, ſi votum illud violauerit, antequam confeſſarius quidquam iniunxerit: quia iam obligatio illius voti eſt extincta, & tranſlata in aliud, quod pœnitens in genere acceptauit. *reſ.* 52.

37 Per Bullam Cruciatæ poſſunt commutari vota pœnalia etiam conditionalia Religionis, ſeu Caſtitatis, etiam poſt impletam conditionem: quia qui ſic vouit, non elegit votum vt tale eſt; ſed potius illius metu deterreri voluit à peccato quod vitare propoſuerat, quod eſt contra perfectam rationem voti Religionis, & Caſtitatis. *reſ.* 53. 54.

38 Poteſt item priuilegio Bullæ commutari votum ingrediendi religionem arctiorem, in votum ingrediendi laxiorem; erogata tamen aliqua eleemoſyna in ſubſidium belli. *reſ.* 55. *pag.* 207. 208.

39 Po

39 Poteſt Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ commutare omnia vota, quæ poteſt Epiſcopus commutare vt Epiſcopus; non autem vt Sedis Apoſtolicæ delegatus. *reſ.* 56. *pag.* 108.

40 Priuilegio Bullæ Cruciatæ poteſt commutari votum caſtitatis emiſſum ad certum tempus. *reſ.* 57. Item votum non petendi debitum, etiam de vtriuſque coniugis conſenſu; quia non eſt votum integræ caſtitatis. *reſ.* 58. Item votum non nubendi, niſi tale votum fuiſſet emiſſum in fauorem alterius coniugis id petentis propter filiorum bonum; cùm enim in hoc caſu votum ſit factum in fauorem tertij, Confeſſarius non poteſt illud commutare, niſi alter coniux remittat ius, quod acquiſiuit, & acceptauit. *reſ.* 59. Item votum virginitatis quando conſtat non eſſe votum caſtitatis, ſed ſolius integritatis corporis ſeruandæ,

dæ, quæ conſiſtit in abſtinentia à primo luxuriæ actu, per quem virginitas amittatur: ſi tamen is qui vouit, dubius eſt de ſua intentione, non poteſt vti beneficio Bullæ; quippe tale votum cenſetur votum caſtitatis abſolutum. *reſ.60.pag* 208. 209. Item votum non fornicandi, non committendi actum mollitiei, &c. Eiuſmodi enim vota non ſunt perfectæ caſtitatis. *reſ.61. pag.* 209. Item votum caſtitatis coniugalis. *reſ.62.* Item votum diſiunctiuum, cuius altera pars eſt reſeruata, vt ſi quis voueret caſtitatem, vel ſacros Ordines: poteſt enim is qui vouit, eligere eam partem, quam poteſt Confeſſarius per Bullam Cruciatæ commutare, etiamſi facta ſit impoſſibilis, ita vt iam non poſſit adimpleri. *reſ.74.pag.* 211. Immò ſi vouens ſtatuat ad ſacros ordines non promoueri, & reliquam partem voti eligat, modò

dò non accedat noua promiſſio, poteſt adhuc illud propoſitum pro vouentis arbitrio mutari, neque ex vi voti ita obligatur ad caſtitatem, quin confeſſarius poſſit votum illud beneficio Bullæ Cruciatæ commutare. *reſol.* 63. & 65. Item votum ſuſcipiendi ſacros Ordines; quia non eſt votum caſtitatis; ſed votum aſſumendi ſtatum, cui annexa eſt caſtitas. *reſol.* 64.

41 Si quis obſtrictus voto caſtitatis, ad nuptias tranſeat, non poteſt Confeſſarius virtute Bullæ tale votum commutare, vt poſſit petere debitum. Poteſt quidem Epiſcopus commutare, ſed iure ſpeciali, & vi conſuetudinis; neque relaxat ſimpliciter votum, ſed ſolùm ex parte, nempe ad petendum debitum, ideoque mortua coniuge obligatio voti reuiuiſcit. *reſ.* 66. *pag.* 209. 210.

42 Quando quis diuerſis votis varia

varia ad castitatem pertinentia promisit, possunt singula, vi Bullæ, atque adeo omnia commutari, licèt ex omnibus simul iunctis consurgat obligatio ad perfectam castitatem: quia vota posteriora se habent per accidens ad priora; nisi vouens intendat ea coniungere; tunc enim tenetur obstrictus voto indispensabili perfectæ castitatis. *res.* 67. *pag.* 210.

43 Potest virtute Cruciatæ commutari votum castitatis emissum ab altero coniugum post matrimonium consummatum, sine mutuo consensu: neque enim est votum omnimodæ castitatis, cum alteri petenti teneatur reddere debitum: illo tamen matrimonio soluto, qui ita vouit, tenetur seruare votum simplicis castitatis, nisi obtineat à Summo Pontifice dispensationem. *res.* 70.

44 Omnia vota præter votum castitatis, religionis, & transmari-

næ

næ peregrinationis, virtute Bullæ commutari possunt. *res.*68. Immò si vota illa Summo Pontifici reseruata, fuerint commutata in aliud quidpiam, illud poterit iterum per Bullam commutari; quia per commutationem extinguitur prius votum reseruatum ratione materiæ, ergo aliud votum in alia materia non erit reseruatum, quin possit priuilegio Bullæ commutari. *res.*71. Item si votum castitatis, seu religionis quis emisit cum intentione obligandi se tantùm sub peccato veniali, votum illud erit per Bullam commutabile. *res.* 72. Item votum castitatis, seu religionis emissum propter leuem metum, potest per Bullam Cruciatæ commutari: quia non est omnino liberum, ac proinde non censetur reseruatum. *res.*73.*pag.*211.

45 Votum vouendi castitatem, seu religionem, est commutabile per Bullam; quia non est votum castitatis,

castitatis, nec religionis. *resol.* 76.

46 Votum Religionis Melitensis non potest priuilegio Bullæ commutari: quia Equites Melitenses sunt verè religiosi, ita vt per professionem huius religionis dirimatur matrimonium ratum. *res.77.pag.*211.212. Votum autem Religionis D. Iacobi Calatrauæ, & Alcantaræ potest; quia sub opinione est, an sit reseruatum necne. *res.78.pag.*212.

47 Votum perseuerandi in religione non videtur indigere priuilegio Bullæ; quia eiusmodi votum non obligat, si is qui vouit, iudicet tempore nouitiatus, eam religionem sibi non esse accommodatam. Sed esto, votum illud obliget, potest tamen per Bullam commutari; quia est diuersum à voto religionis. *res.*79.

48 Votum religionis per Bullam commutari potest, vt tempore

 præscripto

præſcripto ex iuſta cauſa non impleatur, dummodò non ita differatur, vt ſit periculum ne non poſſit impleri: quia hæc commutatio non attingit ſubſtantiam voti, ſed tantùm circunſtantiam temporis. *reſ.*80. Poteſt autem Confeſſarius vi Bullæ commutare qualitatem adiunctam ſubſtantiæ voti Religionis, ſeu caſtitatis. *reſ.* 83. *pag.*203.

49 Votum caſtitatis emiſſum cum licentia alterius coniugis, abſque animo ingrediendi religionem, per bullam eſt commutabile. At ſi vterque communi conſenſu continentiam vouit per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, non poteſt illud votum per Bullam commutari; ſic enim vouentes obligant ſe ad votum abſolutæ, atque integræ caſtitatis. *reſ.* 82. *pag.*203.

50 Qui beneficio Bullæ obtinuit commutationem voti, poteſt redi-

re

re ad prius votum, omisso eo in quod facta est commutatio: quia hæc commutatio facta est in fauorem vouentis: ergo potest ei renunciare. *ref.* 85.

51 Votum religionis, seu castitatis emissum ab eo, qui est sub alterius potestate, est per Bullam commutabile. *ref.* 84.

52 Per Bullam Cruciatæ suspenduntur altaria priuilegiata Conuentibus quibusdam concessa ad liberationem animarum à purgatorio: opposita tamen sententia est etiam probabilis. *ref.* 86. *pag.* 214. Non suspenduntur autem priuilegia concessa iure communi, & consuetudine approbata. *ref.* 87. Neque Indulgentiæ Regularium. *ref.* 88. Superiores Ordinum seu mendicantium, seu non mendicantium, non obstante Bulla Cruciatæ, frui possunt omnibus facultatibus & priuilegiis à Sede Apostolica obtentis. *ref.* 89.

53 Si elapſo anno non promulgetur ſecunda Bulla, poterit quis frui priuilegio primæ Bullæ, quoad noua promulgetur. *reſ.91.pag.* 215. & ſi ante elapſum annũ promulgetur ſecunda, poterit quis vti priuilegio primæ, donec annus abſoluatur. *reſ.93.*

54 Qui ſub finem anni quo expirat Cruciata, cœpit confiteri, nec potuit iuſtas ob cauſas abſolui; poteſt elapſo anno virtute Bullæ præcedentis abſolui; quia confeſſio fieri cœpta eſt tempore idoneo. *reſ.94.*

55 Si amicus ſumat Bullam Cruciatæ nomine alterius qui iam habet, poteſt hic illam non acceptare, & alicui applicare. *reſ.95.* Si autem Bulla abſque culpa amittatur, valebit tamen, neque erit opus aliam ſumere. *ibid.*

56 Per Iubilæum anni ſancti Bulla Cruciatæ non ſuſpenditur: quia priuilegia illius Bullæ conceduntur

ceduntur per modum contractus: quæ autem ſic conceduntur , non cenſentur à Pontifice reuocari. *reſ.97.pag.216.*

57 Non poſſunt Prælati regulares prohibere ſubditos,ne ſumant Bullam Cruciatæ,ſed debent concedere facultatem illam ſumendi; poſſunt tamen illam facultatem coarctare quoad talem vſum. *reſ.* 99.

58 Priuilegia Regularium commutandi vota, & in eis diſpenſandi,& abſoluendi à reſeruatis , non ſuſpenduntur per Bullam Cruciatæ ; immo neque per Iubilæum anni ſancti. Quia cùm hæc priuilegia non ſpeciali alicui monaſterio, ſed toti religioni ſint conceſſa , & ordinentur ad bonum commune fidelium , non ſuſpenduntur per verba generalia , ſi de illis ſpecifica mentio non fiat. *reſ.* 100.

59 Valet Bulla, quam meretrix

de turpi quæstu sumit, quia licèt turpiter faciat peccando, non tamen turpiter accipit pretium peccati. At si ex furto sumatur Bulla, non valet; vult enim summus Pontif. hanc eleemosynam fieri de propriis bonis. *ref.* 101.

60 Ad lucrandas indulgentias Bullæ Crúciatæ possunt ex vno loco quinque altaria visitari, vel si non fuerint quinque altaria, idem altare erit quinquies visitandum: ita tamen vt post quamlibet visitationem saltem caput inclinetur ad distinguendas visitationes. *ref.* 102. *pag.* 217.

61 Quando non licet Ecclesiam ingredi propter turbam, potest quis consequi indulgentias Bullæ orando pro foribus. *ref.* 103. Possunt autem hæ indulgentiæ eodem die sæpiùs obtineri. *ref.* 104.

62 Ad hasce indulgentias lucrandas sufficit vt suscipiens Bullam confessus fuerit Quadragesima

ſima præterita, & habeat propoſitum confitendi Quadrageſima futura. *reſ.* 105.

63 In articulo mortis, Indulgentia Bullæ eſt ſub conditione impertienda moribundo : ita enim fieri iubet Commiſſarius Bullæ, vel dicat confeſſarius : Concedo tibi omnes gratias, quas concedere poſſum virtute huius Bullæ. Cæterum quando Clericus haberi non poteſt, laicus poteſt concedere indulgentiam Bullæ. *reſ.* 106. *pag.* 217. 218.

64 Ad indulgentias Bullæ conſequendas non eſt neceſſaria confeſſio ſine conſcientia peccati mortalis : quia non ſolet præcipi confeſſio niſi de peccatis mort. *reſ.* 107. *pag.* 218.

65 Moribundo ſenſibus deſtituto, qui petiit antea confeſſionem, poteſt indulgentia Bullæ applicari. *reſ.* 108.

66 Per Bullam Cruciatæ lucratur

eratur quis indulgentiam plenariam ſemel in vita, & ſemel in morte, in bello autem toties quoties confitetur. *reſ.* 109.

67 Commiſſarius Cruciatæ poteſt diſpenſare ſuper qualibet irregularitate, præterquam ratione homicidij voluntarij, aut ſimoniæ, vel apoſtaſiæ à fide vel hæreſis, vel propter malam ordinum ſuſceptionem. *reſ.* 110. *pag.* 219. Etiam ſuper irregularitate publica contracta ex delicto. *reſ.* 111. Necnon ſuper irregularitate prouenient ex homicidio caſuali, & ex iniuſta mutilatione membrorum, quia Bulla excipit tantùm homicidium voluntarium. *reſol.* 112.

68 Poteſt etiam Commiſſarius diſpenſare pro ſolo conſcientiæ foro in affinitate conſurgenti ex copula fornicaria in primo, & ſecundo gradu vtriuſque lineæ tráſuerſalis & rectæ, & prolem ſuſceptam,

ptam, & suscipiendam, legitimam decernere, concurrentibus hisce conditionibus. 1. vt matrimoniũ cum illo impedimento sit iam contractum, nec omissæ fuerint culpabiliter denuntiationes, seruatáque sit forma Conc. Trid. sess. 24. c. 1. 2. vt impedimentum sit occultum, id est, vt non sit publicum. 3. vt adfuerit bona fides saltem ex parte alterius contrahentis ignorantis illud impedimentum. 4. vt coniux qui ignorauit impedimentum, certior fiat de prioris consensus nullitate, non tamen de impedimento nisi in genere. *resol.* 116. 117. 118. *&* 119. *p.* 220.

69 Quando virtute Bullæ Cruciatæ conceditur facultas edendi carnes ex licentiâ vtriusque medici, non intelligitur, quando causa est manifesta, aut dubia, sed quando est solùm sufficiens ad petendam dispensationem, non tamen

ad edendas carnes abſque illa. 3. *part.tract.* 5. *Miſcell. reſ.* 70. *pag.* 204.

C

CELEBRATIO *Miſſarum.*

1 EPISCOPI vi Concilij Tridentini non poſſunt Miſſas in fundatione appoſitas reducere ad minorem numerum, quia Concilium loquitur tantùm de Miſſis defunctorũm,& anniuerſariis in aliqua Eccleſia relictis. Poſſunt tamen Miſſas ante Concilium impoſitas reducere ad minorem ſummam. Hæc autem reductio vbi decretum Concil. eſt receptum, facienda eſt in ſynodo; vbi non eſt rèceptum,minimè. Abbates verò & Generales Religionum

num non possunt absque Capitulo minuere numerum Missarum. Porro hæc facultas moderandi Missas comprehendit etiam anniuersaria, & officia pro defunctis. Olim licuit regularibus, dispensante Generali, vnius Missæ celebratione, cum nouem collectis, satisfacere pro nouem Missis, nunc non licet, sacra Congregatione id vetante. *part. 2. tract. 14. res. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. pag. 20. 21.*

2 Si is qui petit Missam, non det stipendium iustum ab Episcopo, vel consuetudine taxatum, potest Sacerdos à diuersis tot parua stipēdia accipere, quæ iustæ eleemosynæ æquiualeant, & vnum tantùm pro omnib. Missæ sacrificium offerre; illi enim non fit iniuria. *ibid. res. 7.*

3 Non potest Sacerdos (sacra Congregatione id vetánte) pro vna Missa tot stipendia accipere, quot sufficiant ad eius sustentationem.

nem. Quia Missæ sacrificium non est institutum ad vitam Sacerdotis sustentandam, cùm nullus Sacerdos promoueatur, quin habeat patrimonium sufficiens. *ibid. res.* 8.

4 Sacra Congregatio omne damnabile lucrum ab Ecclesia §. decretor, remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui certam eleemosynam accepit pro celebranda Missa, ne eandem Missam alteri celebrandam committat, parte eleemosynæ sibi retenta. Hoc tamen sacræ Congreg. decretum non extenditur ad Capellas quibus pingue stipendium est addictum, neque enim datur tantùm pro Missis dicendis. Qui verò ab amico accepit duplex stipendium pro celebranda Missa, si intuitu amicitiæ accepit, potest per alium Sacerdotem satisfacere dato ei iusto stipendio. Sin accepit præcisè, & simpliciter pro Missa, nihil sibi debe-

debet retinere, nisi Sacerdos cuius operâ vsus est, sponte id condonet. *ibid. resp.* 10. 11. 12. *&* 13. *p.* 22. 23.

5 Sacerdos pauper, qui hodie nõ accepit eleemosynam pro Missa celebranda, non potest illam celebrare & applicare primo occurrenti daturo stipendium. Id enim repugnat veteri Ecclesiæ consuetudini, damnatúrque decreto Cardinalium, ex mandato Clementis VIII. Quando tamen ex fundatione alicuius Capellæ, statæ Missæ sunt singulis hebdomadis celebrandæ, potest sacerdos antecedente hebdomada illas celebrare. *ibid. resp.* 15. *&* 16. *pag.* 23.

6 Si quis reliquit stipẽdium pro certo numero Missarum, si augetur stipendium sacerdotibus præstandum, tenetur hæres illam eleemosynam supplere. *ibid. resp.* 17.

7 Episcopus non potest compellere

lere obtinenté Capellam vt ipſemet celebret, licet in fundatione Capellæ dicatur Capellanum debere celebrare, niſi expreſsè caueatur à teſtatore, vt Capellanus per ſe ipſum hoc agat. Hîc notandum Capellam ex ſe non eſſe ſacerdotalem, proindéque ſimplici clerico annor. 14. poſſe conferri. *ibid.reſ.*18.*pag.*24.

8 Probabile eſt ſacerdotem nullo impedimento prohibitum non peccare mortaliter non celebrando, modo communicet in Paſchate, nec adſit ſcandalum, aut contemptus. *ibid.reſ.*79.

9 Si feſtum Annuntiationis incidat in diem Sabbathi maioris Hebdomadæ, poſſunt plures Miſſæ in Eccleſiis celebrari. *ibid reſ.*21.

10 Sacerdos excommunicatus celebrans non præmiſſa confeſſione, ſciens ſe obſtringi vinculo peccati, & cenſuræ, non committit duplex peccatum. *ibid.reſ.*22.

11 Sacerdos in peccato mortali miniſtrans aliis Euchariſtiam non peccat mortaliter. Quia eſt tantùm veluti applicans actiua paſſiuis, in aliis autem ſacramentis Sacerdos ſimul conficit,& miniſtrat. *ibid.reſ.23.pag.25.*

12 Sacerdos celebrans in peccato mortali non peccat tripliciter, indignè conſecrando, offerendo, & ſumendo Chriſti corpus. Quia tres iſti actus ſunt ſibi inuicem ſubordinati.*ibid.reſ.24.*

13 Sacerdos differens ad longum tempus celebrationem Miſſarum, quas ſuſcepit celebrandas, peccat mortaliter. *ibidem, reſol. 25.*

14 Parochus debet diebus Dominicis, & feſtis, quibus populus tenetur audire Miſſam, celebrare per ſe,vel per alium. Non tenetur tamen pro populo Miſſas applicare,ac proinde poteſt ſine ſcrupulo ſtipendium pro illis Miſſis accipere.

re. *ibidem, resol. 26.*

15 Si Capellanus ægrotauerit per aliquot dies, puta 10. aut 15. non obligatur ad Missas per alium celebrandas. *ibid. res. 27. pag. 26.*

16 Sacerdos qui tenetur quotidie celebrare, potest in hebdomada vnam Missam omittere; non tamen eo die Missam pro alio celebrare accepto stipẽdio. *ib. res. 28.*

17 Sacerdos obligatus ad celebrandũ in certo templo, oratorio, vel altari, peccat mortaliter, alibi celebrando, nisi paruitas materiæ excuset, si, v. g. bis, térve in anno in hoc altari non celebret; non tamen tenetur ad restitutionem, nisi defunctos aliquo suffragio fraudauerit. *ibid. res. 29.*

18 Sacerdos qui die Dominicæ vel alio festo celebrat aliam Missam votiuam, non peccat mort. *ibid. res. 30.*

19 Sacerdos qui certis diebus debet dicere Missam, v. g. de B. Virg.

Virg. potest tamen illis diebus dicere aliam in Missali præscriptam. *ibid. resp.* 31.

20 Potest Missa celebrari sesquihora, vel etiam duabus horis, ante solis ortum. Religiosi autem ex priuilegio possunt hora secunda post mediam noctem celebrare. Ad dandam verò communionem infirmo, licet etiam media nocte sacrum facere. *ibid. resp.* 33. *pag.* 27.

21 Sacerdos potest inchoare Sacrum paulo post meridiem: Festo tamen die ratione itineris impeditus potest Missam vna hora post meridiem incipere. Religiosi verò ex suis priuilegiis possunt celebrare vsque ad Nonam inclusiuè, id est, vsque ad tres horas post meridiem. *ibid. resp.* 34.

22 Potest Sacerdos in nocte Natiuitatis tres Missas ante auroram celebrare. *ibid. resp.* 35.

23 Potest Sacerdos sine scrupu-

lo facere Sacrum ante matutini officij recitationem. Quia preces matutinæ, & sacrificium Missæ nullam habent connexionem, neque vllum ordinem. *ibid. res.* 36. *pag.* 28.

24 Probabile est posse Sacerdotem deficientibus particulis, hostiæ partem alteri porrigere. Quia sic fidelium vtilitati consulit, nec vllam facit iniuriam sacramento. *ibid. res.* 37.

25 Sacerdos sine iusta causa extra Ecclesiam celebrans peccat mort. ratione honoris, & reuerentiæ tanto sacramento debitæ. *ibid. res.* 38.

26 Sacerdos in nocte Natiuitatis, si nolit tres Missas celebrare, potest hanc vel illam pro arbitrio dicere. *ibid. res.* 39.

27 Sacerdos regularis, si in Canone Missæ pro nomine Episcopi reponat nomen sui Generalis, peccat mort. Quia Missale est ad

ad vnguem obseruandum. *ibid.res.* 40.

28 Sacerdos cùm sacris vestibus se induit, si omittat orationes tunc dicendas, non peccat mort. modò absit contemptus. Quia non est præceptum. *ibid.res.* 41.*pag.*29.

29 Sacerdos si in Missa maiori quæ canitur, non legat summissa voce Epistolam, & Euangelium, non peccat. Quia id non præcipitur *ibid.res.*42.

30 Vrgente graui necessitate, potest sine ministro Missa celebrari; neque fœmina ad ministrandum est vllo modo adhibenda. *ibid.res.*43. *&* 44.

31 Sacerdos in necessitate celebrans cum vno lumine ex oleo, aut adipe, non peccat mort. *ibid. res.*45.

32 Sacerdos sine Missali celebrans, vbi nullum est, modò se nihil omissurum confidat, non pec-

cat. *ibidem reſol. 46. pag.* 30.

33 Nihil eſt neceſſe applicationem Miſſæ fieri actualiter aut virtualiter tempore ſacrificij; ſufficit, ſi pridie Sacerdos applicauerit, dummodo intentio non fuerit poſtea reuocata. *ibid. reſ.* 47.

34 Sacerdos ante Miſſam confeſſus, ſi poſtea peccati alicuius mort. omiſſi recordatur, non tenetur tunc contritionis actum elicere, ſed tantum poſtea confiteri. Quia peccatum illud omiſſum, fuit iam in confeſſione virtualiter remiſſum. *ibid. reſ.* 48.

35 Sacerdos qui ex intentione omittit vnum aliquẽ Sanctorum, qui in Canone Miſſæ ponuntur, non peccat mort. propter paruitatem materiæ. *ibid. reſ* 49. *pag.* 31.

36 Sacerdos nouam Miſſam celebrans poteſt ſe in medio altari ad populum conuertere, & oblationes accipere. *ibid. reſ.* 50.

37 Sacerdos

37 Sacerdos qui misit in os aliquid sacchari ante somnum, si dubitat, an post mediam noctem aliquid in stomachum traiecerit, non potest illo die celebrare, quia non est ieiunus. *ibid. res.* 51.

38 Si quis tamen deglutiat aliquid ex propriis vnguibus, vel papyri, vel sanguinis manantis ex proprio vulnere, vel quid simile, potest nihilominus celebrare? Quia illa non habent rationem cibi, neque potus, neque medicinæ. *ibid. res.* 52.

39 Potest Sacerdos non tantum in casu necessitatis, sed etiam deuotionis causa seipsum communicare extra Missam ex præconsecratis, vbi non est alius Sacerdos à quo accipiat Eucharistiam, qualibet etiam diei hora, modò sit ieiunus & absit scandalum. Quia in hoc sacramento non requiritur vt minister sit alius à reci-

cipiente. *ibid.res.* 53. 54. *pag.* 31. 32.

40 Si Sacerdos celebrans non obseruet rubricas Missalis, non videtur peccare mortaliter. Quia non obligant sub mortali. *ibid.res.* 55.

41 Sacerdos non debet sine licentia Episcopi plures eodem die Missas celebrare, excepto die Natiuitatis Domini. *ibid. res.* 56.

42 Sacerdos in casu necessitatis potest cum stola, manipulo, aut cingulo, non benedictis, aut etiam sine illis celebrare. *ibid. res.* 57.

43 Sacerdos ob infirmam valetudinem, operto capite sine licentia Episcopi celebrare non potest. *ibid.res.* 58. *pag.* 33.

44 Sacerdos in Missa, *Gloria*, seu *Credo*, voluntariè omittens, non peccat mort. ex materiæ leuitate. *ibid.res.* 59.

45 Sacerdos non habens copiam Confessarij,

Confeſſarij, & vrgente neceſſitate compulſus, ſi non præmittit confeſſionem, antequam celebret, cum ſibi ſit cõſcius peccati mort. tenetur quamprimùm confiteri. At ſi bona fide accedit ad altare abſque conſcientia peccati mort. ibi autem recordatur alicuius, non tenetur illo præcepto. *ibid. reſ. 60. 61. pag. 33. 34.*

46 Quando feſtum Annuntiationis incidit in feriam 6. Paraſceues, nulla eſt obligatio ſub peccato mort. audiendi Miſſam illius diei. Quia non eſt proprie Miſſa, neque propriè ſacrificium, cùm non fiat noua hoſtiæ conſecratio. *ibid. reſ. 62.*

47 Sacerdos iter faciens, ſi copia Confeſſarij deſit, nec adſit alius Sacerdos qui celebret, poteſt celebrare contritus, vt ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam; ſi quidem ſibi conſcius eſt peccati mort. Poteſt etiam cele-

brare, licèt non sit Parochus, vt alij Missam audiant. *ibid. res.* 63. 64. *pag.* 34. 35.

48 Sacerdos qui habet casus reseruatos, à quibus præsens Confessarius non potest absoluere, potest vrgente necessitate sine præuia confessione, contritus celebrare. *ibid. res.* 56.

49 Sacerdos sumpto cibo non potest celebrare ad communicandum infirmum morti proximum; propter reuerentiam sacramenti. In quatuor autem casib. Sacerdos potest non ieiunus sumere, & consecrare Eucharistiam. 1. si aquã pro vino infusam hausit; tunc enim propter integritatem sacrificij debet vinum consecrare, & sumere. 2. quando post haustum calicem, & ablutionem, videt reliquias hostiæ in patena, vel corporali. 3. quando post consecrationem recordatur se non esse ieiunum. 4. quando post consecra-

conſecrationem moritur ſacerdos, aut non poteſt perficere Sacrum, debet alius etiam non ieiunus, ſuccedere, ſi nullus adſit ieiunus, qui poſſit ſacrificium perficere. *ibid. reſ. 66.*

50 Poteſt Sacerdos celebrare in calice, & patena nondum conſecratis, & cum veſtibus nondum benedictis, ſi alius Sacerdos bona fide cum ipſis antea celebrauit. Quia in prima celebratione iam fuerunt conſecrata. *ibid. reſ. 69. p. 36.*

51 Si Sacerdos ſumpto iam Chriſti corpore videt ſe, per imprudentiam, calicem cum ſola aqua conſecraſſe, ſufficit, vt vinum infundat, & incipiens ab illis verbis (*ſimili modo*) calicem conſecret. *ibid. reſ. 70.*

52 Poteſt Sacerdos oblatione iam facta, paruam hoſtiam ad communicandum laicum conſecrare, modò afferatur paulò poſt

oblationem. *ibidem resol. 71. pag. 37.*

53 Si Sacerdos regularis applicet Missas contra intentionem superioris, peccat quidem contra votum; valet tamen applicatio. Quia pendet ab intentione celebrantis. *ibid. res. 72.*

54 Potest Sacerdos regularis tempore Paschali ministrare Eucharistiam laicis, ita vt ipsi satisfaciant præcepto annuæ communionis: sum tamen author regularibus, vt hoc priuilegio non vtantur. *ibid. res. 73.*

55 Infirmus, qui semel in articulo mortis sumpsit Eucharistiam per modum viatici non ieiunus, potest iterum sumere, idque post sex, aut septem dies. Quia eadem est necessitas. *ibid. res. 75. & 77. pag. 38. 39.*

56 Sacra rituum Congregatio statuit Missam de feria priuilegiata in Ecclesiis Cathedralibus,

&

& Collegiatis omittendam non esse post Nonam. Ecclesiæ autem Regularium non censentur Collegiatæ. *ibid. res.* 76.

57 Omnis fidelis qui non est notorius excõmunicatus, nec notorius peccator, si inciderit in amentiam, debet Eucharistiam in articulo mortis sumere, modò absit irreuerentia, & periculum vomitus. Extra illum articulum amentes non sunt communicandi. *ibid. res.* 78. 79.

58 Sacerdos qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare, pro cultu illius Ecclesiæ, vel commoditate populi tantùm, absque obligatione applicandi sacrificium, cùm iam accipiat stipendium, non potest pro illius applicatione aliud stipendium accipere. Quia cum stipendium detur pro labore, qui est pretio æstimabilis, vna Missa non meretur nisi vnicum stipendium. *ibid. res.* 80. *pag.* 40.

59 Quando

59 Quando in Beatificatione alicuius, Pontifex concedit sacerdotibus alicuius Religionis, vt possint de illo Missam celebrare, non licet aliis sacerdotib. seu sæcularibus, seu regularibus de eo Beato in Ecclesia assignata Missam celebrare. Quia illud priuilegium conceditur tantum Sacerdotibus illius Religionis; cùm illi soli in Bulla exprimantur. Hanc sententiam determinauit sacra Cardinalium Congregatio die 10. Nouem. an. 1622.2. *part. tract.* 1. *Miscel. res.* 55. *pag.* 67. 68.

60 Qui in consecratione omittit particulam (*enim*) conficit sacramentum, & venialiter tantùm peccat: quia absque illa particula manet integer sensus verborum. Item qui in consecratione calicis diceret (*hic est calyx*) verè consecraret: nam licet calyx habeat aliam significationé quam calix,

calix, tamen in ipsa consecratione ex communi modo percipiendi, idem sonant. *ibid. tract.* 3. *Misell. res.* 14. *pag.* 105.

61 Si sunt aliquæ guttæ vini in calice separatæ à toto vino, quod in ipso calice continetur, probabiliter iudicari possunt non consecratæ: quia sacerdos illud tantùm intendit consecrare, quod per modum vnius continui potabile existit intra calicem. *ibid. res.* 16. *pag.* 106. & 3. *part. tract.* 4. *res.* 32. *pag.* 86.

62 Sacrificium Missæ ex opere operato remittit peccata venialia: nam ordinatur ad remittenda peccata, sed non remittit mortalia ex opere operato, ergo saltem venialia. 3. *part. tract.* 4. *res.* 39. *pag.* 88.

63 Si sacerdos finito Sacro in Sacristia inueniat aliquod fragmentum in patena vel calice, non debet illud sumere: quia quamdiu est

est in altari, eiusmodi fragmentorum sumptio refertur ad vnum idemque conuiuium, & sacrificium, quod nondum censetur absolutum, dum sacerdos in altari manet; secus autem si ab illo discesserit: tamen si nullus alius Sacerdos esset post illum celebraturus, & ibi non asseruatur SS. Sacramentum, tunc Sacerdos non ieiunus potest illud fragmentum accipere. *ibid. res. 45. p. 90.*

644 Non est quod Sacerdos sit nimium anxius circa infusionem aquæ in calicem; nam licèt plurés guttas infundat, áqua quæ ante consecrationem non est in vinum conuersa, immediatè in Christi sanguinem conuertitur in ipsa consecratione. *ibid. res. 49. pag. 91.*

65 Videtur satisfacere præcepto audiendi Missam, qui eodem tempore audit vnam medietatem ab vno, & alteram ab alio; quia

Ecclesia

Ecclesia præcipit, vt Missa audiatur: duæ autem medietates Missæ constituunt vnam Missam: quemadmodum ille satisfacit qui cùm debeat duas Missas audire, eas simul audit, dum eodem tempore celebrantur. 2. *part. tract.* 3. *Miscell. res.* 18. *pag.* 106.

66 Sacerdos accipiens stipendium pro dicenda Missa Spiritus sancti, vel B. Virginis, si postea dicat Missam illa die currentem, non peccat mort. 3 *par. tract.* 6. *Misc. resol.* 62. *pag.* 250.

Comitia, seu Parlamentum Regni Siciliæ, & Neapolis.

1 DOnatiua, quæ à Serenissimo Rege Siciliæ exiguntur tertio quoque anno, ad subueniendum necessitatibus regni, sunt veræ impositiones necessariæ,

cessariæ, & iustæ. *part.1.tract. 3. res.1.pag.66.*

2 Donatiuum seu Gabella vt sit iusta, debet imponi ob publicam vtilitatem, & proportionaliter. *ibid.res.2.*

3 Imponitur autem iustè tributum alicui regno propter bella & sumptus, quos Rex sustinet in aliis regnis. *ibid.res.3.p.67.*

4 Etiamsi Rex in egestatem inciderit sua culpa; potest tamen iustè tributum imponere. Quia non est ex vsu regni Regem esse inopem. *ibid.res.4.*

5 Vt donatiuum, seu tributum sit iustum, non sufficit, vt causa sit iusta; sed debet esse proportionatum, ita vt vires regni & populi non excedat, alioqui erit tyrannicum, si populus immoderatis vectigalibus grauetur. *ibi.res.5. pag.67.68.*

6 Exteri in Parlamento raró sunt inter Regnicolas admitten-
di,

di, raró ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas promouendi. Quia indigenæ, seu naturales regni maiorem curam gerunt suarum Ecclesiarum, & magis in iis resident, quàm exteri. *ibid. res.6.*

7 Possunt plures Vniuersitates, & Barones regni constituere vnū, aut alterum procuratorem, quos nouerint esse timoratæ conscientiæ, vt intrent in Parlamentum. *ibid.res.7.pag.69.*

8 Qui intrat in Parlamentum tanquam procurator, non debet rogatus substituere alium procuratorem. Quia hoc cedit in damnum regni. *ibid. res.8.*

9 Procuratores Communitatū, & alij intrantes in Parlamentum possunt, & debent proponere id quod spectat ad commune bonum, licèt ab eo qui præest non proponatur. *ibid.res.9.*

10 Qui ingreditur Comitia vt Baro, & vt Procurator alicuius

Communitatis, si habet rationes probabiles in vtramque partem, potest dare suffragium affirmatiuum, & negatiuum, id tamen rarò contingit. *ibid. ref.* 10. *pag.* 70.

11 In Comitiis credendum est Regi affirmanti se esse in necessitate, nisi constet de contrario. *ibid. ref.* 11.

12 Rex, & supremus Princeps habet ius assignandi iustam pecuniæ summam, quæ sibi & regno administrando sufficiat. Immò potest exigere tributa noua, vel antiqua augere, quãdo patrimonium sibi assignatum non sufficeret regiæ dignitati, aut necessitatibus regni. *ibid. ref.* 12. *&* 13.

13. Quando Vassalli, & Communitates sunt multum oneratæ, tunc potest Princeps suspendere pensiones, concessiones, ipsásque etiam tollere, quia publicum commodum priuato est anteferendum. *ibid. ref.* 14.

14 Non

14 Non potest Rex imponere noua tributa regno Sicilię ob causas necessarias de iure communi tantùm; propter priuilegia ei concessa. *ibid. resolut.* 15. *pag.* 70. 71.

15 In Comitiis, seu Parlamento, postquam numerus sufficiens suffragatus est pro re iniusta, si quis postea pro eadem re det suffragium, peccat quidem mortaliter: sed non tenetur ad restitutionem, quia non cooperatur ad damnum. Qui verò priore loco sententiam dixit pro re iniusta, tenetur damnum resarcire, cuius est causa, etiamsi sciret sequentes in eandem sententiam ituros. *ibid. res.* 16. *&* 17. *pag.* 71.

16 Quando quis certò scit in Comitiis pro re iniusta concludendum à maiori parte, potest illo die abesse à Comitiis, nisi speret suum suffragium profuturum. At quando omnium suffra-

gia debent concurrere ad conclu-dendum, nullus poteſt obeſſe: quia poteſt vnus ſuo calculo iniuſtam concluſionem impedire. *ibid. reſ.* 18. & 19. *pag.* 72.

17 Quando dubitatur, an vectigal ſit iuſtè impoſitum, & ſunt vtrinque rationes probabiles, videtur ſoluendum: quia in dubio præſumendum eſt pro Rege. Comitia verò, cùm agitur de donatiuo ſeu tributo imponendo, debent ſequi probabiliorem ſententiam: quia ſunt veluti judices inter Regem, & populum. *ibid. reſ.* 20. & 21.

18 Eccleſiaſtici ad cuſtodiam regni, & reparationem pontium, turrium, &c. non tenentur contribuere, niſi in ſubſidium, quando non ſufficiunt bona laicorum. *ibid. reſ.* 22. *pag.* 73.

19 Eccleſiaſtici vocati debent accedere ad Comitia, contrauenientes tamen regno pel-

li-

li non poſſunt. *ibid.reſ.23.pag.73.* 74.

20 Donatiuum per aliquot annos duraturum, nō poteſt ex nunc pro tunc ad alios annos prorogari, propter incommoda, quæ interuenire poſſunt. *ibid.24.*

21 Si cauſæ exigendi tributi ſint iuſtę, poteſt Princeps per vim, & metum illud extorquere. *ibid. reſ.25.*

22 Si populus onus tributi ferre non poteſt, non tenentur Barones & regni proceres contribuere, quia tenentur ad ſeruitium militare. *ibid.reſ.26.*

23 Procuratores in Comitiis non debent ſedere in eo loco, quem eorum Barones occuparent, ſi adeſſent. *ibid.reſ.28.*

24 Conuocati ad Comitia Prouincialia non poſſunt donatiuum offerre Proregi ſine licentia Regis. *ibid.reſ.29.*

25 Qui ſubſcribit ſententiæ à

maiori parte Comitiorum conclusæ, cùm ipse contrarium suffragium dederit, si sententia euidenter apparet iniusta; peccat mortaliter. *ibid.res.30.pag.75.*

Consecratio, & Benedictio.

1 PIxis in qua asseruatur SS. Eucharistiæ sacramentum, non est necessariò consecranda, aut benedicenda; quia id nullo iure præcipitur; neque est necesse in ea haberi pallam ex lino confectam, & benedictam ad Christi Corpus excipiendum. 2. *part. tract.1.Mis.res.2.pag.41.*

2. Quando interior Calicis superficies, quæ Christi sanguinem tangit, iterum deauratur, non videtur de nouo consecrandus: cùm enim idem maneat, neque frangatur, nihil est causæ, cur consecrationem perdat; illa autem noua deauratio, quæ additur,

censetur

censetur consecrata hoc ipso quòd additur rei iam consecratæ. *ibid.res.* 3.*pag.*41.42.

3 Ecclesia per effusionem humani sanguinis violata, si sit consecrata, debet reconciliari per Episcopum proprium, vel per alium Episcopum de eius licentia, & cum aqua à se vel ab alio Episcopo benedicta cum vino, & cinere. Si autem sit tantùm benedicta, potest per simplicem sacerdotem reconciliari. *ibid.res.*6. *pag.*43.

4 Cingulum fractum non amittit benedictionem; licet enim vti parte longiori, aut duabus partibus simul nexis, absque noua benedictione. *ibid. res.* 4. *pag.* 42.

5 Licet Agnos Dei consecratos vendere ratione materiæ, ac laböris, & impensarum in eis asportandis. Item licet illos retinere, postquam in excommunicatio-

nem incursum est, eos depingendo, non tamen ad vendendum. Nec peccabunt laici, si absque contemptu illos tangant, nam vsus obtinuit, vt à laicis etiam fœminis tangantur. 3. *part. tract.* 6. *Miscell. res.* 12. *pag.* 229.

Consilium.

1 QVando quis decreuit committere graue aliquod peccatum, licet ei suadere minus. Vt si viderem Petrum velle, & certò statuisse adulterium committere, & non possem aliter ab hoc proposito illum auocare, nisi suadendo fornicationem loco adulterij, possem ei suadere fornicationem, non quatenus ipsa peccatum est, sed quatenus impedit peccatum adulterij. Quia tale consilium non fertur absolutè in malum, sed in bonum, scilicet in fugam maioris mali; dummodò

modò tamen nullum creetur damnum seu corporale, seu spirituale tertio. 3. *part. tract.* 5. *Miscel. res.* 37. *pag.* 193.

Contractus, & Cambium.

1 CVm pro campsuario respondet procurator campsoris, de ipsius campsoris pecuniis, videtur cambium esse licitum, modò campsor non habeat peruersam intentionem lucrandi ex dilatione solutionis. Neque tantùm est licitum inter mercatores, sed etiam inter personas priuatas. *part.* 1. *tract.* 8. *res.* 1. 2. *p.* 126. 127.

2 Recambium est licitum non tantùm ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, sed etiam ratione emptionis, & venditionis. *ibi res.* 5.

3 Ex inueterata consuetudine, pro prouisione cambij debetur

tertia pars ſcuti pro ſingulis centenis ſcutis: idemque ſumi poteſt pro prouiſionibus recambiorum, & cõtinuationum toties quoties. Ego verò ſum author campſoribus, vt in continuationibus non ſumant à campſariis integrum intereſſe cambij. *ibid. reſ.* 6.7. *&* 8. *pag.* 128.129.

4 Poteſt campſor toties quoties recipere duas prouiſiones, vnam in loco vbi fit cambium, alteram in nundinis per ſuum procuratorem, ſeu agentem. *ibid. reſ.* 9. *pag.* 129.

5 Campſor iure percipit maiorem prouiſionem pro magno cambio, quàm pro paruo, ratione periculi. *ibid. reſ.* 10. *pag.* 129. 130.

6 Poſſunt campſores id quod ſibi debetur pro prouiſionibus, & intereſſe addere ad ſortem, ratione lucri ceſſantis. *ibid. reſ.* 11. *pag.* 130.

7 Consuetudo campsorum de non acceptanda solutione sortis, nisi simul soluantur detrimenta cambiorum, est licita. *ibid. res.* 12.

8 Campsores dantes ad cambium modo supradicto, non sunt in foro externo tanquam vsurarij puniendi. *ibid. res.* 13.

9 Campsor, qui bona fide dedit pecuniam Petro ad cambium, soluendam Lugduni, & postea comperit ipsum non habere ibi pecuniam; potest ab eo tantum exigere, quantum lucri percepisset, si Petrus Lugduni soluisset. *ibid. res.* 14.

10 Si campsor à principio paciscatur cum campsario certum, ac determinatum interesse, quod moraliter constet esse iustum, etiam in casu non solutionis, nõ peccat mort. *ibid. res.* 15.

11 Contractus massarij ad mercatorem est licitus; etiamsi vendens non sit agricola, nec dominus,

nus prædiorum , neque in solidum se obliget cum aliquo qui talis sit; sufficit, si habeat frumentum in potentia morali , scilicet vt possit illud emere. *ibid. ref.* 16. *pag.* 131.

12 Si in supradicto contractu venditor nôn tradat frumenta tempore præfixo , non potest emptor petere, nec accipere summum frumẽtorum pretium, sed ex præteritis pretiis inter summum , & infimum debet eligere medium. Si tamen illo tempore, quo summum fuit frumenti pretium , emptor illud vendere determinasset, posset vtique summum illud pretium exigere. Eiusmodi autem contractus potest sæpius renouari citra fraudem , & postea adiici interesse ad sortem principalem , ratione lucri cessantis. *ibidem , resol.*17.18. 19. *pag.* 131. 132.

13 Licet vendere rem creditâ pecuniâ

pecuniâ pretio rigoroſo, & poſtea illam ſtatim emere numeratâ pecuniâ pretio infimo, modò id non fiat ex pacto. *ibid.reſ.*20.

14 Merces, quæ communiter venduntur credito, pluris vendi poſſunt expectatâ quàm præſenti pecunia. *ibid. reſ.*21.

15 Licet minoris emere merces anticipata ſolutione, ob lucrum ceſſans,& damnum emergens.*ibid. reſ.*22.

16 Poſſunt merces pluris vendi, 1. ob multitudinem emptorum. 2. ob affectum ad rem. 3. ob lucrum ceſſans. 4. ob damnum emergens. 5. ob periculum amittendi pretium rei, vel recuperandi cum expenſis. 6. propter modum vendendi. Poſſunt item minoris emi, 1. ob multitudinem mercium, & raritatem emptorum. 2. ob inopiam pecuniæ. 3. propter modum vendendi. *ibid. reſ.*23.*pag.*133.

17 Mer

17 Mercator, etiamſi non exercuerit monopolium, non poteſt iuſtè ſuas merces vendere pretio illo, quod per monopolium creuit: quia illud pretium ex ſe eſt iniuſtum. Videtur autem illud monopolium iniuſtum, quo mercatores conſpirant, vt nullus eorum vendat, niſi pretio ſupremo. *ibid.reſ.24.*

18 Si quis ſciat valorem monetæ breui minuendum, poteſt illam alteri mutuare cum pacto, vt eam ſibi reſtituat iuxta valorem præſentem illius pecuniæ. *ibidem, reſ.25.*

19 Sartores qui pro aliis emunt pannum, poſſunt ſibi retinere partem illam pretij, quæ ipſis remittitur à mercatore; quia nulli fit iniuria. *ibid.reſ.26.*

20 Qui impediunt alios, ne merces emant ab iis, qui eas portant, ſed eas ipſi anticipatè emunt, ita vt alij poſtea cogantur eas carius

riùs emere de manibus ipſorum. obligantur ad reſtitutionem. *ibid. reſ.27.pag.134.*

21 Licet tradere alteri pecuniam, domum, verbi gratia, tradenti, hoc pacto vt ipſe vtatur domo, alter pecunia, modò adſit titulus lucri ceſſantis, & pactum retrouendendi. *ibid. reſ.28.*

22 Pœna conuentionalis non debetur in conſcientia, ſi debitor non ſit in mora culpabili, vel ſi non ſit moderata. *ibid. reſ.29.*

23 Poteſt quis dare mercatori pecuniæ ſummam, & accipere ab ipſo in fine anni, v.g. quinque pro centenario, dummodò intendat celebrare tres contractus. 1. ſocietatis. 2. aſſecurationis capitalis. 2. venditionis lucri incerti pro certo. *ibid. reſ.30. pag.135.*

24 Poteſt quis ſumere mutuum ab vſurario, ſub vſuris, non tantùm ad neceſſaria, ſed etiã ad conuiuia, torneamenta, &c. iuxta exi-

gentiam.

gentiam ſtatus: quia non videtur cooperati malitiæ vſurarij. *ibid. reſ.* 31.

25 Theſaurarius vel procurator Principis, poteſt inſcio domino cum illius pecuniis negotiari in ſuum commodum. *ibidem reſ.* 32.

26 Licet mercatori dicere petenti pecuniam mutuam, ſe nolle mutuare tantam pecuniam, ſed ſe daturum, ſi velit, in mercibus id quod mutuo petit, ſummo pretio ad creditum. Poteſt rursùm mutuans, ſicut & alij, illas redimere vili pretio à mutuatario. *ibid. reſ.* 32. *pag.* 136.

27 Non licet mutuanti percipere lucrum ceſſans ex mutuo, ſi aliunde compenſatur. *ibid. reſ.* 34.

28 Quando taxatum eſt pretium fructuum, carnium, piſcium, &c. non licet ſeponere meliores, & vendere pretio maiori. *ibid. reſ.* 35.

29 Si

29 Si quis emat censum impositum minori pretio, quàm taxatum fuerit, non tenetur ad restitutionem, si rogatus fuit à venditore; quia merces vltroneæ vilescunt. *ibid. res.36.pag.137.*

30 Potest mutuans aliquid amplius exigere propter periculum amittendi debiti: quia hoc pertinet ad indemnitatem mutuantis. *ibid. res.37.*

31 Potest quis vendere equum, torquem, monile,&c. vltra iustum pretium, cum hac conditione, vt emptor illud soluat, cùm vxorem duxerit. Propter periculum amittendi capitale. *ibid. resol.38.*

32 Potest quis vendere rem cum vitio occulto, quod si emptor nosset, nõ esset eam empturus, saltem tanti, dummodo venditor pretium minuat habita ratione defectus: sic enim seruatur æqualitas inter contrahentes. Si tamen emptor explicet se nolle rem emere, nisi

careat vitio, venditio erit nulla. *ibid.ref.* 39 *pag.* 138.

33 Si quis ſciat rem breui minùs valituram, poteſt eam vendere pretio currenti: vtitur enim iure ſuo. Immò etiam Senatus, & Conſiliarij Regis poſſunt vendere res ſuas pretio communi, quarum pretium ſciunt futura promulgatione legis breui minuendum; nec tenentur eam promulgationem manifeſtare ante tempus. *ibid.ref.* 40. & 42. *p.* 138. 139.

34 Poteſt quis vendere res indifferentes iis, quos nouerit illis ad peccatum abuſuros, modò adſit rationabilis cauſa, putà neceſſitas vel vtilitas. *ibid.ref.* 41. *p.* 138.

35 Inter mercatores eſt vſu receptum, vt qui non ſoluit tempore debito, etiam ſine culpa, cenſeatur eſſe in mora, ac proinde cogatur ſoluere pœnam conuentio

uentionalem. *ibid. resol.* 41. *pag.* 139.

36 Ex pensionibus non solutis potest quis redditum, & censum antiquum augere, vel notum constituere; probabile est etiam de pecunia credita, vbi bulla Pij V. non est vsu recepta. *ibid. res.* 44. *p.* 140.

37 Potest quis vendere, aut locare domum pretio currenti Parisiis, licet sciat Aulam, & Regem breui aliò, migraturum. *ibid. resol.* 45.

38. Non peccat contra iustitiam, nec tenetur ad restitutionem, si quis interrogatus de futura copia mercium, vel de minuendo pretio tritici, aut monetæ, vel de Regis & Aulæ discessu, dicat se nescire, vel æquiuocè respondeat, vel etiam neget. Quia non tenetur dicere veritatem, neque ex mendacio crescit pretium rei. *ibid. res.* 45.

39 Si quis bona fide celebrauit contractum vſurarium, quem ſi cognouiſſet iniquum, alium iuſtum celebraſſet; probabile eſt illum poſſe tantum lucri retinere, quantum per contractum licitum acquiſiuiſſet. *ibid.reſ.*47. *pag.* 141.

40 Si quis mutuò dedit alteri pecunias cum obligatione non repetendi ante biennium, poteſt aliquid accipere ratione illius obligationis non repetendi, quam ſibi imponit. *ibid.reſ.*48.

41 Probabile eſt chirographa immatura minori pretio emi poſſe. Id eſt, ius ad ſoluendos, v. g. 100. aureos nummos intra annum, poſſe nunc emi minoris, putà 96. aut 97. aureis. Quia pecunia præſens pluris æſtimatur quàm futura. Contraria tamen ſententia eſt communior. *ibid. reſ.* 49. *pag.* 142.

42 Chirographa, ſeu debita, quæ ſpem habent exiguam ſolutionis, exiguo

exiguo pretio emi possunt, tametsi emptor integram solutionem sit obtenturus; hoc enim dandum est illius industriæ. *ibid. res.* 50.

43 Qui vino generoso miscet aquam, aut puro tritico secale, ea tamen moderatione, vt non sint deteriora quàm quæ passim venduntur, potest eodem pretio vendere, quo alij. *ibid. res.* 51. *pag.* 143.

44 Merces quæ bonitate longè aliis præstant, vendi possunt vltra pretium lege taxatum. *ibid. res.* 52.

45 Qui sub hasta rem vendidit duplo maiori pretio quàm valebat, non tenetur ad restitutionem; nulla quippe fraus, nec necessitas subest. *ibidem res.* 55. *pag.* 144.

46 Gemmas, canes, falcones, picturas, &c. quæ non habent pretium taxatum, potest venditor

vendere quanti volueris, & quantum emptor sciens, & prudens dare consenserit: cùm enim hæc tantùm ad curiositatem, & delicias comparentur, iustum eorum pretium non aliter determinatur quàm æstimatione ementis, qui illa tanti facit, vt putet ad nobilitatis suæ splendorem pertinere, vt tanti emat, modò fraus absit. *ref.* 56.

47 Licet aliquid exigere supra iustum pretium ratione periculi sortis, cui interdum exponitur is, qui credito vendit: nam exponere se huic periculo, est pretio æstimabile: ergo potest pro eo aliquid exigi, modò tamen periculum non sit fictum, sed verum. *ref.* 57. *pag.* 145.

48 Quando mercator non vult mutuare petenti, sed ei credito merces offert, & vendit summo pretio, vt emptor eas vendat pecunia numerata, cui volue-

rit, poteſt ille ipſe mercator eas ſtatim redimere pecunia numerata, pretio medio vel infimo, modò non interceſſerit pactum explicitum, vel implicitum de retrouendendo, & modò intra limites iuſti pretij conſiſtat, ita vt quando vendit credito, non excedat iuſtum pretium ſummum, & quando redimit pecunia numerata, non excedat iuſtum pretium infimum; illud enim pretium habet latitudinem quandam, intra quam licet emere, & vendere. *reſ.* 58.

49 Videtur probabile mutuantem poſſe deducere in pactum eam iuris naturalis obligationem, qua ex gratitudine tenemur benefacere noſtris benefactoribus, dummodò mutuatarius nihil inde patiatur incommodi. Poſſum, v.g. tibi mutuare, vt mihi cũ opus habebo, remutues, vel in meo molendino molas, vel à me iuſto pretio emas: quod enim ſine vl-

lo incommodo mutuatarij fieri potest, non est pretio æstimabile, ideoque si à mutuante deducatur in pactum, non est vsura. *ref.* 59. *p.* 146. Neque erit vsura, si mutuans deducit in pactum, vt mutuatarius statim emat, vendat, remutuet, &c. nam ita mutuans nullam causâ mutui imponit obligationem pretio æstimabilem, cùm mutuatarius non maneat in posterum ad aliquid obligatus, neque amittat suam libertatem vendendi, emendi, vel mutuandi in posterum. Neque hic contractus est vsurarius. Do tibi mutuo 100. aureos, vel 100. amphoras vini, vt mihi vicissim mutues 100. modios tritici: hæc enim obligatio imposita mutuatario, parum est onerosa. *ref.* 60.

50 Mutuare aliquid cum pacto, vt is, qui accipit mutuum, conferat officium vel Ecclesiasticum beneficium, est vsura: cùm enim

enim illa obligatio tollat libertatem collatori, eſt pretio æſtimabilis. Si quis tamen mutuum daret, non vt pretium beneficij Eccleſiaſtici, ſed vt prouocet amicitiam collatoris, aut vt ei gratiam præſtet, quam non vult præſtare, niſi alter ſtatim gratificetur, conferendo beneficium, probabile eſt nec vſuram, nec ſimoniam fore. *reſ.*61.*pag.*147.

51 Non eſt vſura accipere aliquod donum, vel munus à mutuatario, ad quod dandum fuit excitatus à mutuante: quia non exigitur illud munus vi mutui, neque ex debito iuſtitiæ, cùm nullum interuenerit pactum, ſed tantùm ex gratitudine. *reſ.*62.

52 Si Petrus debet Ioanni 100. aureos ſoluendos poſt annum, & nunc vult illi ſoluere 50. cum hoc pacto, vt Ioannes expectet per biennium alios 50. nulla eſt vſura: quia vnum mutuum datur

pro alio; qui enim ſe obligat ad expectandam ſolutionem, non ſe obligat ad mutuandum, ſed ſtatim mutuat, quia prorogat terminum ſolutionis, quod eſt mutuum virtuale. *reſ. 63. pag.* 147. 148.

53 Vt ſciatur quantum poſſit exigi ratione lucri ceſſantis, hæc ſtatui poteſt regula. Vt qui mutuat, tantum remittat ex lucro ceſſante, quantum ipſe daret alteri, qui ipſum redderet ſecurum de toto lucro ſperato, in ſeipſum ſuſcipiens quidquid eſt periculi: v.g. ſi quis ſperaret lucrum 15 pro 100. & libenter daret 5. pro aſſecuratione, debet tantùm accipere 10. pro lucro ceſſante. *reſ.64. pag.* 148.

54 In Sicilia frequens eſt hic contractus. Ioannes, v. g. menſe Ianuar. vendit 100. modios frumenti Petro, menſe Iulio conſignandos, quo tempore Petrus ſoluet

ſoluet pretium, quod taxant ipſi contrahentes menſe Ianuar. hoc modo, vt ſi menſe Ianuar. quo fit contractus, modius frumenti valeat 40. ſolidis, menſe Iulio ſoluantur 43. Notandum tamen, Ioannem venditorem frumentorum conſignandorum menſe Iulio, teneri illa dare Petro, quoties petierit toto illo tempore intermedio à Ianuario ad Iulium, quo tempore dicta frumenta ſtant periculo, & expenſis Ioannis venditoris. Si verò menſe Iulio Petrus non acceperit frumenta, Ioannes debet illum monere, & cogere, vt accipiat; ſin nolit, proteſtatur de intereſſe, & expenſis, & poſthac periculum frumentorum erit penes Petrum. Hic contractus eſt licitus, modò illa venditio frumentorum non ſit ficta: eſt enim contractus veræ emptionis & venditionis; & illud quod Ioannes accipit vltra pretium currens,

rens, iuſtè accipit pro expenſis laboribus, & periculis ſubeundis conſeruando frumenta ad menſem Iulium. *reſ. 65.*

55 Si quis capitale maius in ſponſione aliqua expoſuerit, poteſt is, qui habet capitale minus, acceptare ſponſionem, & lucrari illud plus ſine onere reſtitutionis; modò alter, cuius pecunia maior eſt, norit inæqualitatem, & conſentiat; quia ſcienti, & conſentienti non fit iniuria. *reſ. 66. pag.* 148. 149.

56 Si filiusfamilias, qui non poteſt multum perdere, lucratus ſit in ludo magnam pecuniarum ſummam, non tenetur ad reſtitutionem, præſertim ſi colludens ſciebat illum eſſe filiumfamilias, ſic enim videtur ceſſiſſe iuri ſuo, & volenti, & conſentienti non fit iniuria. *reſ. 67.*

57 Qui bona fide rem emit à fure, quam durante bona fide vendidit

didit alteri, si deinde sciat rem illam fuisse furto ablatam, potest sibi pretium retinere, modò eam vendiderit eodem pretio, quo emerat; neque tenetur rescindere contractum cum emptore, sed tantum illi cedere actionem de euictione, quam habet aduersus furem, à quo bona fide emit. *ref.* 68. *pag.* 149. 150.

58 Qui bona fide rem emit à fure, postea de furto certior factus, potest tuta conscientia rem reddere furi, & pretium suum recipere, nisi speret se facile posse illud pretium recipere à domino, si illi rem suam restituat. *ref.* 69. *pag.* 150. Idem dicendum videtur de emptore malæ fidei: quia debet quisque sibi potius consulere, quàm alteri. 2. *part. tract.* 3. *Misc. ref.* 4. *pag.* 100.

59 Si frumentum est taxatum pretio rationabili, & moderato; magna sterilitate superueniente, non

non tenentur homines deinceps vendere ſuum frumentum pretio, quod tempore abundantiæ taxatum fuerat: præſumitur enim voluntatem Principis, aut Magiſtratus non eſſe, vt lex tempore abundantiæ lata, in tanta frumenti inopia vim ſuam retineat. *reſ.*70. *pag.* 150.151.

60 Si mutuanti notabile aliquod damnum emergat ex mutuo dato, antequam mutuatarius ſit in mora ſoluendi, non tenetur mutuatarius illud damnum reſarcire; quia non accepit mutuum cum hoc onere, aut pacto. *reſ.*71.

61 Clerici in Sacris conſtituti, vel Religioſi per ſe negotiari non poſſunt; per alios verò negotiationem exercere non prohibentur. *reſ.*72.*pag.*151.152. Qui verò habet beneficium, ſed non eſt in Sacris, ſi per ſe negotietur, probabile eſt illum non peccare mort. *reſ.*73. *pag.*152.

62 Depo

62 Depoſitarius quando perit penes ipſum res depoſita, non tenetur in conſcientia niſi ex culpa graui, & lata; non autem ex leui, & leuiſſima, niſi aliter inter contrahentes ſit conuentum. *reſol.* 74.

63 Hæres ab inteſtato non tenetur quidquam dare hæredi inſtituto in teſtamento minus ſolemni, nec ſoluere legata facta in tali teſtamento, dummodo non ſint facta ad pias cauſas, quia illud teſtamentum iure humano eſt nullum. *reſ.* 75. *pag.* 152. 153.

64 Qui in ſubhaſtatione rogat amicos volentes emere, ne plus offerant certa quadam quantitate, vt ipſe poſtea iuſto pretio infimo rem illam emat, non peccat contra iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem. Idem dicendum de eo qui volens officium emere, rogat alios emptores, ne velint plus dare. Iſti enim vtuntur induſtria,

&

& diligentia vt res sibi iusto pretio detur, timentes ne in auctione pretium plus iustò augeatur. *res.76.*

65 Alienatio bonorum Ecclesiæ facta à Rectoribus in euidentem eiusdem Ecclesiæ vtilitatem saluo assensu sedis Apostolicæ non est inualida, etiamsi summus Pontif. nondum consenserit: neque Rectores qui fecerunt conditionem Ecclesiæ meliorem, incurrunt excommunicationem. Quia cùm hic contractus celebratus sit in commodum Ecclesiæ, quamuis legitima forma, & solemnitas desit, validus tamen erit, quia forma requiritur tantùm ad fraudes euitandas. *res.* 77. *pag.* 153.154.

66 Qui rem aliquam emit ab eo, qui vendit necessitate compulsus, potest viliùs emere: cùm enim venditor offerat, & roget emptorem, merces fiunt vltroneæ, & per

per consequens vilescunt. *res.* 78. *pag.* 154.

67 Si in fasce herbarum, vel olerum, quæ vulgò venduntur ad cibum, inueniatur herba ignota magnæ virtutis, potest emi pretio currenti. Item, si lapidariis esset ignota virtus alicuius lapidis pretiosi, qui nouit illius virtutem, potest communi pretio illum emere. *res.* 179.

68 Parentes possunt aliquid plus vni filio relinquere quàm aliis, modò reliqui non priuentur legitima portione. *resol.* 183. *pag.* 155. Caueant tamen parentes, ne ex odio faciant inæqualem distributionem: si verò ex inordinato amore erga aliquem, non propterea peccant mortaliter, cùm non faciant contra iustitiam, nec quilibet amor inordinatus sit peccatum mortale. *ibidem*, *pag.* 156.

69 Parentes peccant mort. gra-

uando legitimam filiorum gratuitis donationibus, vel minuendo onerosis, sed fictis contractibus: possunt tamen remuneratoriis donationibus, aut veris contractibus onerosis illam minuere. *ref.* 84.

70 Testator potest quemuis extraneum instituere hæredem, nulla facta mentione consanguineorum collateralium, modò absit scandalum, & grauis necessitas consanguineorum: nullo enim iure id facere prohibetur. *ref.* 85.

71 Dominus non tenetur soluere salarium famulo infirmo, quandiu erit infirmus, nisi sit in extrema, vel graui necessitate, tunc enim teneretur ex charitate. Immo potest ab eo exigere sumptus in eo curando factos. *ref.* 86. *pag.* 157.

72 Quando debitor non soluit tempore præfixo, & ob id creditor cogitur cum interesse ab alio accipere.

accipere tantum, quantum erat debitum, non tenetur monere debitorem velle ſe mutuum ab alio accipere cum fœnore; quia mora debitoris iam creauit illud damnum creditori. *reſ.* 87.

73 Probabile videtur poſſe aromatarium locare ſuam tabernam cum omnibus vaſis & medicamentis ad certum tempus, illáque conductori tradere certo pretio æſtimata, cum expreſſo pacto, vt teneatur conductor ſingulis annis ſoluere decem pro centenario pretij æſtimati, & in fine conductionis reſtituere vaſa & medicamenta eodem pretio æſtimanda. Quia licet periculum rerum apothecæ ſit penes conductorem ex vi æſtimationis, & in hoc iſte contractus tranſcendat terminos locationis, cui hoc eſt proprium, vt rei locatæ periculum pertineat ad ipſum locatorem, nihilominus manet locatio, quia ſic tranſ-

actum eſt inter contrahentes. *reſ.* 89.*pag.*157.

74 Quando litigantes conduxerunt Aduocatos, & procuratores ad annum vel annos, cum pacto dandi certam annuam mercedem, ſeu ſalarium ad omnes cauſas, quas habent, vel habituri ſunt; ſi nulla cauſa inciderit illo anno agenda, non ſunt illi Aduocati, ſeu procuratores ſuo ſalario fraudandi, poteſt tamen aliquid detrahi arbitrio boni viri: ſi tamen Aduocatus eius eſſet ingenij, vt mallet laborare quàm feriari, nihil videretur detrahendum. 2.*part.tract.* 1.*Miſcell.reſ.*41.*pag.*60.

75 Debitor qui eſt in mora, non tamen culpabili, non tenetur ſuo creditori ad intereſſe dãni emergentis, niſi præceſſit pactum de ſoluendo intereſſe procedente etiam ex culpa inculpabili. Quia omiſſio ineuitabilis nullam habet rationem iniuſtæ acceptio-

nis;

nis, aut retentionis, quæ ſit radix obligationis ad reſtitutioně. *ibid. reſ.49.pag.63.*

76 Qui dat mutuum, poteſt paciſci cum mutuatario, vt ſtatim ſibi lucrum reddat ex illo mutuo, his duobus modis: 1. mutuando v. g. 100. aureos ea lege, vt ſtatim mutuatarius reddat 9. ratione lucri ceſſantis ex 91. quos ipſe retinet; quod facere poteſt ſine vſura; quia nihil eſt aliud quàm mutuare 91. cum intereſſe, & alios 9. ſine intereſſe, qui tamen ſtatim ſunt reddendi ad ſoluendum intereſſe prouenieniens ex 91. quos mutuatarius accepit mutuos. In quo contractu mutuatarius non magis grauatur, quàm ſi differretur ſolutio intereſſe. 2. modus eſt, ſi mutuans non accipiat illud lucrum ceſſans ex ipſa pecuniæ ſumma; ſed in oleo, frumento, vino, &c. *ibid. reſ.50. pag. 64.*

77 In magna annonæ penuria licet à Turcis & infidelibus emere carnes, aut frumenta, vel cum illis alias merces permutare: quia tempore necessitatis non censetur prohibitum commercium cum infidelibus. 2. *part. tract.* 2. *Miscell. res.* 36. *pag.* 90.

78 Qui emit domum, vel fundum ad plura debita hypothecatum, non tenetur in conscientia illa debita soluere: cùm enim principalis debitor (vt suppono) non sit soluendo, ideóque coram Deo maneat solutus omni obligatione, multò magis emptor rei hypothecatæ, quia accessorium sequitur naturam sui principalis. *ibid. res.* 42. *pag.* 92.

79 In libris rationum, vbi scribuntur rationes dati, & accepti, potest debitor eligere, in quo debito, pecunia sibi debita compensetur; quia quando quis multa contraxit debita apud eundem

credito

creditorem, ipſius eſt eligere, vtri maluerit prius ſatisfacere; vnde ſi aliquid ſoluat, id cenſetur ſoluere pro debito, quod magis grauat. *ibid. reſ. 51. pag. 95.*

80 Vt creditor vti poſſit compenſatione, hæ conditiones requiruntur. 1. vt debitum ſit certum, ita vt debitor teneatur in conſcientia ſoluere. 2. vt non plus capiat quàm ſibi debetur. 3. vt debitum ſit ſtatim, & illo tempore reſtituendum. 4. vt compenſatione facta admoneat debitorem vel hæredes, iam debitum eſſe perſolutum. Neque opus eſt recurrere ad iudicem, modò compenſatio fiat occultè, & ſine ſcandalo. *ibid. reſ. 48. pag. 94.* In foro conſcientiæ, quando nulla eſt alia ratio rei ſibi debitæ obtinendæ, probabile eſt admitti compenſationem in depoſito; quia eſt de iure naturæ, & gentium; vt poſſit quis ſibi ſatisfacere, quando

alia via ſibi debitum habere non poteſt. Item poteſt fieri compenſatio, etiamſi ſint creditores anteriores; neque enim tenetur quis rem ſuam amittere, cùm illam recuperare poſſit. 3. *part. tract.* 5. *Miſcell.reſ.*10.*pag.*181.

81 Simplex promiſſio etiam acceptata non obligat in conſcientia; quia non eſt pactum, quod obliget ex iuſtitia. *ibid. tract.*3. *Miſcell.reſ.*9. Eſt tamen probabile promiſſionem etiam internam in conſcientia obligare: nam per actum interiorem, vt probabilis fert opinio, poteſt transferri dominium. 3.*part.tract.*5.*Miſcell.reſ.*116.*pag.*223.

82 Solus metus reuerentialis, etiam ſine minis, & verberibus cadit in conſtantem virum; quod valet ad reſcindendos contractus, qui vt plurimum fiunt ab vxoribus, & filiisfamilias ex metu reuerentiali. Item preces importu-

næ ſeorſim conſideratæ, & ſine metu reuerentiali efficiunt metum iuſtum, qui cadit etiam in conſtantem virum, atque adeo ſufficiunt ad irritandum contractum. *3.part. tract.5.reſ.20. pag. 185.186.*

83 Si pupillus, vel minor ludendo perdidit, vel alio contractu promiſit ſe ſoluturum, non tenetur, ſed exceptione legis ciuilis defendere ſe poteſt, dummodò ſe ſoluturum non iuraſſet. Si autem pupillus creditori ſoluit, poteſt creditor in foro conſcientiæ rem illam retinere, donec beneficio legis ciuilis ab eo repetatur. Sin pupillus, aut eius nomine tutor rem aliquam indebitè ſolutam repetere velint, & propter negligentiam Iudicis recuperare non poſſint, compenſationem aliquam ſeu clam, ſeu palam facere non prohibentur. *ibidem, reſ.44. pag. 195.*

84 Si facta est donatio cum damno creditorum, & intra annum creditores non petunt rescissionem illius donationis, donatarius non tenetur ad restitutionem: nisi sciens & prudens impulisset donatorem ad faciendam donationem in fraudem creditorum. *ibid.ref.39.p.194.*

85 Pactum de retrouendendo in fauorem emptoris census est licitum, id est, potest obligari venditor census ab emptore, vt quando is voluerit, teneatur reemere censum quem vendiderat, reddito eodem pretio, vel eo pretio quod postea valebit census, prout inter se conuenerint, neque debet tunc emptor census computare pensiones interim perceptas in partem pretij, modò tamen aliquo alio modo grauamen, quod per hoc pactum imponitur venditori, ad arbitrium boni viri ab emptore compensetur. Tamen ob periculum

periculum vſuræ, eiuſmodi pacta non ſunt ſuadenda. *ibid.reſ.75.pag.206.*

86 Quando quis pluribus obligat operam ſuam ſingulis in ſolidum, & illa æquè commoda eſt ſingulis, ac ſi pro illis ſolis fuiſſet exhibita, poteſt à ſingulis tantum exigere, quantum ab vno poſſet, ſi pro eo ſolo laboraſſet: modò id nullo iure poſitiuo prohibeatur. *ibid.reſ.76.p.207.*

87 Venditor, qui eſt in mora culpabili, & non tradit rem venditam tempore deſignato, tenetur emptori ad omne intereſſe, & intrinſecum, & extrinſecum: nam venditor ex iniuſta rei detentione eſt cauſa damni. Id autem intelligendum eſt in foro conſcientiæ; nam in foro externo venditor tenetur tantùm ad intereſſe intrinſecum. *ibid.reſ.113.p.222.*

88 Si venditor rem venditam tradat emptori, & emptor ſit in mora

mora culpabili tradendi pretium, leges meritò concedunt venditori actionem contra emptorem morosum ad exigendum omnes fructus, quos emptor percipere potuisset, & per negligentiam emptoris non percepit à tempore moræ iuxta proportionem pretij non soluti: in foro autem conscientiæ non est cogendus hic emptor ad illos fructus soluendos ante sententiam iudicis. *ibid.res.*114. *pag.*223.

89 Licet merces certo pretio vendere, quando dubitatur, num futuro tempore pluris, aut minoris æstimabuntur; nam in hoc casu venditor, & emptor sunt paris conditionis. *ibid.res* 115.

90 An contractus ex metu leui factus valeat in conscientia, necne, in vtramque partem probabiliter disceptatur. *ibid.res.*117. *pag.* 223.224.

91 Contractus liberalis donationis,

tionis, aut promissionis ex metu graui celebratus iure naturali, & positiuo est inualidus, requiriturque Iudicis auctoritas, non ad illum irritandum, sed vt à principio fuisse irritum declaret. Idem dicendum de promissione latroni facta propter metum iniustum: de renuntiatione beneficij per metum facta: de absolutione ab excommunicatione per metum extorta, &c. *ibid. ref.* 118. *pag.* 224. 225. Contractus autem onerosi ex metu graui celebrati, in quibus datur res pro re, excepto matrimonio, validi sunt iure naturæ: probabile est etiam valere iure positiuo; datur tamen actio metus causa. Itaque quoad forum conscientiæ, ante iudicis sententiam, nullam habet obligationem restituendi is, qui contrahendo vim intulit; & sic emptor, qui metum fecit, potest retinere rem, & fructus perceptos, donec venditor

venditor rescissionem postulet. Hinc tamen excipe contractum ludi, & alienationis rerum ecclesiasticarum, qui metu facti non valent. *ibid. res.* 119. *pag.* 225.

92 Potest quis vendere credito pretio currenti tempore solutionis, si pro tunc seruaturus erat illas merces; deductis tamen impensis & periculis pro re conseruanda subeundis. Non tamen licet vendere triticum pretio, quo nunc appretiatur, cum pacto vt venditor tunc cum fiet solutio, possit accipere triticum, aut pecunias, prout libuerit: quia venditor sic assecurat suum negotium, nec vllum periculum subit. *ibid. tract.* 6. *Miscell. res.* 2. *pag.* 226. 227.

93 In contractibus, qui celebrantur in gratiam vtriusque contrahentis, si quid damni accidat sine culpa alterius contrahentis; in foro quidem externo nihil debetur:

betur ratione damni: at in foro conſcientiæ diuidendum eſt damnum inter vtrunque; vt ſi equus conductus moriatur in itinere ſine culpa conducentis. *ibid.reſ.*10. *pag.*228.

94 Qui conduxit operam alicuius, ſi ſtetit per conductorem ob caſum fortuitum, quominus locator operam ſuam præſtaret, non tenetur ad integram mercedem, ſi locator alium non inueniſſet conductorem, niſi iſte illum conduxiſſet; aut ſi potuiſſet inuenire, ſi voluiſſet, & per negligentiam omiſit, quia voluit eſſe otioſus. *ibid.reſ.*14.*pag.*229.

95 Si famulus ad annum conductus diſcedat ante tempus, debetur ei merces temporis, quo ſeruiuit, niſi domini multum intereſſet eum diutiùs morari. *ibid. reſ.* 15.

DENVN

D

DENVNTIATIO *facienda ex edicto DD. Inquisitorum.*

1 IN casibus pertinentibus ad Inquisitionem, denuntiatio est facienda, etiamsi delator crimen probare non possit, nec vlla præcesserit correctio fraterna. Quia hæc denuntiatio est iudicialis, quæ refertur ad punitionem. *part.1.tract.4.res.1. & 2.p. 76.*

2 Reus delicti pertinentis ad tribunal Inquisitionis, licèt sit iam emendatus, est denuntiandus. Quia hæc denuntiatio tendit ad punitionem, & non ad correctionem. *ibid.res.3.pag.77.*

3 Filius tenetur denuntiare patrem

trem

trem hæreticum, vxor maritum, frater fratrem. In aliis criminibus non item. Quia ad ſolum crimen hæreſeos denuntiandum, ius obligat cognatos, qui cenſentur vna eadémque perſona. *ibid.reſ.*4.5.*&* 6.*pag.*78.

4 Nemo tenetur ſeipſum denuntiare, ac proinde nec complices: ſic enim ſeipſum proderet. *ibid.reſ.*8. *&* 9.*pag.*79.

5 Conſtitutio Gregorij XV. ſtatuit eſſe denuntiandos confeſſarios, qui pœnitentes ſollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus habuerint. *ibid.reſ.*11.12.*pag.*80.

6 Confeſſarius, qui prætextu confeſſionis, ſeu ante, vel poſt confeſſionem, fœminam ſollicitauit, eſt denuntiandus, ex Bulla Gregorij XV. At ſi laicus ſedeat in tribunali confeſſionis, ibíque per ſpeciem confeſſionis, fœmi-

nam ſollicitet, non videtur denuntiandus ex vi Bullæ, quæ pœnas decernit ſacerdotibus ſollicitantibus; ergo non videtur comprehendere laicos. *ibid.reſ.*13.14.15.*pag.*81.

7 Sacerdos, qui non habens facultatem audiendi confeſſiones, ſollicitat fœminam in confeſſione, fingens ſe habere talem poteſtatem, ex vi Bullæ eſt denuntiandus. *ibidem, reſol.* 17.*pag.* 82.

8 Confeſſarius, qui in confeſſione agit cum lenone de proſtituenda ſibi vel aliis puella, eſt denuntiandus. Quia Bulla pœnas decernit ſacerdotibus ſollicitantibus pœnitentes ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis perpetranda. *ibid.reſ.*19.

9 Confeſſarius ſollicitans fœminam ad peccata, quæ non ſint carnalia, non eſt vi Bullæ denuntiandus; quia Pontifex loquitur de

de ſollicitatione ad turpia. *ibid. reſ.*20.

10 Confeſſarius contraueniens huic conſtitutioni Greg. XV. non eſt excuſandus ex leuitate materiæ, ſed denuntiandus. *ibid. reſ.* 21. *pag.*83.

11 Qui confeſſario mandat, vt ſollicitet pro ſe pœnitentem, non eſt denuntiandus: quia verba legis pœnalis non ſunt extendenda. *ibid.reſ.*22.

12 Mulier ſollicitans confeſſarium non eſt denuntianda: quia Conſtitutiones Pontif. in confeſſarios diriguntur, non in pœnitentes *ibid.reſ.* 23.

13 Qui ſcit etiam ſub ſigillo naturali, mulierem à confeſſario fuiſſe ſollicitatam, ſi mulier non denuntiarit, debet illum denuntiare. *ibid.reſ.* 24.*pag.*84.

14 Hæc Conſtitutio Greg. XV. non eſt extendenda ad ea, quæ facta ſunt ante conſtitutionem, ſed

tantùm ad futura ; quare non ſunt denuntianda crimina, quæ admiſſa ſunt ante conſtitutionem. *ibid. reſ.* 25.

15 Poteſt confeſſarius abſoluere illam pœnitentem, quæ firmiter promittit ſe denuntiaturam confeſſarium, ſi ſubſit cauſa, propter quam denuntiatio, prudenti confeſſario videatur differenda. Idem dicendum de denuntiando hæretico. *ibid. reſ.* 27. *pag.* 85.

16 Quot mulierum teſtimonium requiratur ad ſacerdotem conuincendum, ſit penes Inquiſitores iudicium. *ibid. reſ.* 28.

17 Poſt Bullam Greg. XV. poſſunt epiſcopi de hoc crimine cognoſcere. *ibid. reſ.* 28.

Detractio.

1 QVi detegit peccatum alienum notorium facti, vel iuris in alio loco, vbi ignorabatur, non

non peccat, neque cõtra iustitiam, neque contra charitatem. 3. *part. tract.* 5 .*res.* 17 .*pag.* 184.

2 Auditum crimen alicuius simpliciter sine noua assecuratione, vel confirmatione narrare, etiamsi quis animaduertat aliquos ex audientibus temerè credituros, non est peccatum mortale: quia damnum famæ in hoc casu non tam infertur à narrante, quàm ab audientibus, qui nimis leuiter credunt. *ibidem, res.* 28 .*pag.* 189.

3 Qui falsum dicendo alterum infamauit, non tenetur iurare, se falsum dixisse, sed sufficit, si se retractet coram illis, apud quos proximum diffamauit. *ibidem, res.* 29. At qui verum dicendo, occultum alterius crimen propalauit, tenetur laudare eum, quem priùs diffamauerat, nec ampliùs de illa re loqui coram illis, apud quos eum diffamauit: si autem non possit

famam restituere, non tenetur pecunia compensare; probabile tamen est, infamatum posse vti compensatione; non tamen reddendo maledictum pro maledictò. Cùm autem detractio facta est verbis generalibus, v. g. aliquem esse mendacem, ambitiosum, &c. nulla est obligatio restituendi famam, nisi fortè ratione dignitatis personæ. Porrò plebeius non tenetur famam nobilis reparare, cum propriæ vitæ periculo: quia vita est ordinis superioris, quàm fama. *ibid. res.* 30. *pag.* 190.

4 Qui narrat amico iniuriam sibi ab aliquo secretò illatam, non animo detrahendi, sed doloris sui leniendi gratia, non peccat mortaliter: durum enim est acceptas iniurias silentio premere, & apud se concoquere. *ibid. res.* 32. *pag.* 191.

5 Qui occultum crimen alienum sine graui causa manifestat

vni

vni aut alteri viro prudenti, quem ſcit non euulgaturum, non peccat mort. quia non eſt notabilis læſio famæ. *ibid. reſ.* 33.

6 Qui occultum alterius crimen narrauit quibuſdam, qui deinde aliis retulerunt, ſatisfacit infamato, ſi ſe retractet apud ſuos auditores tantùm. Cùm enim verba in infinitum creſcant, non poteſt infamator ſe apud omnes retractare. *ibidem. reſol.* 34. *pag.* 192.

7 Qui audit detractorem, nec eum corripit vel ex timore, vel ex negligentia, vel ex verecundia, peccat tantùm venialiter; niſi ex officio ad id teneatur. *ibid. reſ.* 35.

Dubium.

1 QVando dubium eſt inæquale, ita vt dubitans magis propendeat in hanc partem,

vt credat se votum emisisse, nulla est obligatio ad illud votum implendum. Quia possessio certa prævalet rationibus inducentibus in partem oppositam, sed non generantibus assensum. 2. *part. tract.* 1. *Miscell. resol.* 9. *pag.* 44.

2 Possessor bonæ fidei, si inæqualiter dubitet, & magis inclinet in eam partem, vt credat rem quam possidet esse alienam, non tenetur illam restituere, ne quoad partem quidem: quia nullæ occurrunt illi rationes, quæ sufficiant ad assensum generandum, quare in illo dubio melior est conditio possidentis. *ibid. resol.* 10.

3 Qui rem vendidit bona fide, & posteà dubitat, an sit aliena; non tenetur habere animum restituendi pretium vero domino, si constiterit rem esse furtiuam: quia vendens non factus est inde locupletior. *ibid. resol.* 11. *pag.* 45.

4 Dubius in fide non est censendus

dus hæreticus: quia hæresis est error fidei contrarius, seu assensus contra fidem; at qui est dubius, neutri assentitur parti, sed sustinet assensum; ergo. *ibid. tract.* 2. *Miscell. res.* 53. *pag.* 96.

5 In dubio an vectigal impositum sit iustum; si sint vtrinque rationes probabiles, Princeps iustè exigit, populus iustè negat; tunc enim est bellum ex vtraque parte iustum. *ibid. tract.* 3. *Miscell. res.* 59. *pag.* 124.

6 In dubio an ex tuo consilio, seu culpâ, sequutum sit damnum, non teneris ad restitutionem: quia in dubio, præsertim in materia iustitiæ, melior est conditio possidentis. 3. *part. tract.* 5. *Miscell. res.* 84.

7 Certus de debito, dubius autem an soluerit, tenetur ad solutionem, nisi creditor sit etiam dubius, an sit satisfactum. Commodatarius dubius an sua culpa com-

modatum perierit, non tenetur ad restitutionem; quia in dubio peccatum non præsumitur. Idem videtur dicendum de locatore, & depositario.

Dubia Regularium.

1 Generales,& Præpositi Religionum,etiam Clericorum Regularium, possunt sibi eligere Confessarium etiam extra religionem: quia licet Decreta Capitulorum Generalium prohibeant externo Sacerdoti confiteri, sed tantùm religiosis eiusdem ordinis à superiore designatis,non obstante quocumque priuilegio: tamen eiusmodi Decreta non derogant priuilegio Præpositorum Regularium, quia est insertum in corpore iuris; ideóque habetur pro lege. 3.*part. tract.*2.*res.*1.*pag.* 21.22.23.

2 Præpositi Regularium possunt illis

illis dare facultatem eligendi Confessarium, quemcumque voluerint extra Religionem: quia qui habent ordinariam potestatem, possunt illam alteri delegare. *ibid. res. 2. pag. 24.*

3 Episcopus extra suam diœcesim potest eligere Sacerdotem idoneum, id est, ab Ordinario approbatum, cui confiteatur. Prælati verò regulares, & quilibet religiosi habentes facultatem eligendi Confessarium, possunt eligere quemlibet Sacerdotem, etiamsi ab Episcopo non fuerit approbatus: nam Concil. Trid. nihil hac in re innouauit, sed loquitur tantùm de cōfessionibus sæcularium, ad quas audiendas vult accedere Confessarios ab Ordinario approbatos. *ibid. res. 3.*

4 Quilibet Confessarius etiam sæcularis, ab Episcopo approbatus, potest absoluere nouitium regularem, etiam à peccatis in

reli

religione reſeruatis: quia nouitij ante profeſſionem ſunt veluti ſæculares. Decretum autem Clem. VIII.non eſt ſumendum per modum præcepti, ſed conſilij. *ibid. reſ 4.pag.25.*

5 Nouelli profeſſi, qui ſubſunt curæ vnius Magiſtri, poſſunt confiteri, cui voluerint ex Confeſſariis à ſuperiore deſignatis ad audiendas fratrum confeſſiones. Ad ſpiritualem tamen profectum conduceret, ſi ſuo magiſtro confiterentur.*ibid.reſ.5.pag.26.*

6 Vocales religionum, id eſt, qui habent ius ſuffragij, non poſſunt pro arbitrio abeſſe à Capitulo: quia illorum eſt conſulere commodis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus Religionis. Si tamen quis ſciuerit rem iniuſtam in Capitulo concludendam, nec ſe poſſe ſuo ſuffragio illam impedire, poteſt abeſſe: ſecùs autem ſi poſſit impedire; tunc enim ſi

ſi abſit ob humanos reſpectus, peccat mortaliter. *ibid. reſolut.6. pag 26.27.*

7 Præpoſiti Religionum, quæ priuilegiorum communicatione gaudent, poſſunt concedere dimiſſorias nouitiis, vt ab Epiſcopo ordinentur. *ibidem, reſolut.7. pag.28.*

8 Omittere Miſſam ſolemnem in Eccleſiis Regularium cani ſolitam diebus feſtis, non eſt peccatum mortale, modò abſit ſcandalum, & contemptus:quia illa conſuetudo non eſt inducta per modum præcepti. *ibid.reſ.8.*

9 Regulares virtute ſuorum priuilegiorum poſſunt diſpenſare vel commutare vota extra confeſſionem. Idem dicendum de ſæcularibus,quibus licet per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum commutare vota in confeſſione; idē enim poſſunt extra confeſſionem. *ibid. reſ.9.pag.29.*

10 Pri

10 Priuilegia mendicantium per Bullam Cœnæ Domini reuocantur: quia in illius publicatione, quæ fit singulis annis, derogatur exprefsè eiuſmodi priuilegiis. *ibid. reſol.* 10.

11 Poteſt quis alium abſoluere ex præſumpta voluntate Superioris, ſi præſumptio fundatur in ſignis, quæ ſufficienter indicent præſentem voluntatem Superioris. *ibidem, reſ.* 11. *pag.* 30.

12 Regulares virtute ſuorum priuilegiorum poſſunt in die Paſchatis ad implendum præceptum annuæ communionis, peregrinis, & aduenis Euchariſtiam miniſtrare: nulla quippe fit Parochis iniuria. *ibid. reſ.* 12.

13 Poſſunt item virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere à cenſuris ab Epiſcopo reſeruatis. Non tamen poſſunt Prælati regulares, ſtante Decreto Clementis VIII. excommunicationem

nem ſibi reſeruare. *ibidem, reſ.* 13. *pag.* 31.

14 Confeſſarij regulares, facultate à ſuis Prouincialibus acceptâ, poſſunt diſpenſare cum coniugatis, qui impediuntur inceſtu, vel voto, ad petendum debitum; quæ diſpenſatio dari poteſt extra Sacramentum, & vrgente neceſſitate, abſentibus per ſcriptum. *ibid. reſ.* 14. *pag.* 32.

15 Abbates ex priuilegio ab Innocentio VIII. conceſſo, poſſunt conſecrare calices, altaria, campanas, &c. non tantùm ad vſum ſuarum Eccleſiarum, ſed etiam alienarum. *ibid. reſ.* 15.

16 Nouitius qui redit ad ſæculum, non tenetur ad expenſas, quas in eo alendo monaſterium fecit. Quia redditus, & eleemoſynæ monaſterij non ſunt tantùm ad alendos profeſſos, ſed etiam nouitios, qui etiam religioni deſeruiunt. *ibid. reſ.* 16. *pag.* 32. 33.

17 Po

17 Poteſt nouitius in articulo mortis, non expleto probationis anno, admitti ad profeſſionem; & ſi moriatur ab inteſtato, monaſterium ſuccedit in bonis ipſius: quia iam non decedit nouitius. *ibid.reſ.*17.*pag.*33.

18 Religioſus ex conſuetudine recitans horas canonicas extra chorum, non peccat mort. *ibid. reſ.* 18.*pag.*34.

19 Religioſus negans ſuffragium nouitio idoneo, peccat mort. Quia non tantùm illum retrahit ab ingreſſu religionis, ſed etiam expellit à religione ſine iuſta cauſa. *ibid.reſ.*19.

20 Regulares ex ſuis priuilegiis poſſunt extra ſacramentum Pœnitentiæ abſoluere à cenſuris. *ibid. reſ.*20.

21 Non poteſt Epiſcopus approbationem ſemel conceſſam ad confeſſiones audiendas, ſine iuſta cauſa reuocare: quia poteſtas illi data

data eſt in ædificationem; & hæc reuocatio eſt nulla. *ibid. reſ.*12. *pag.*35.

22 Quando Superior regularis moritur, aut ab officio amouetur, ceſſat reſeruatio caſuum ab eo facta. *ibid. reſ.*23.

23 Probabile eſt Religioſos, ex odio ab Epiſcopo non approbatos, poſſe nihilominus confeſſiones audire. Quia ipſo iure approbantur in Clementina, *Dudum, de ſepul.* quam Concil. Trid. non videtur reuocaſſe. *ibid. reſ.*24. *pag.* 36.

24 Poſſunt Epiſcopi ex iuſta cauſa reſtringere Religioſorum approbationes ad audiendas confeſſiones virorum tantùm. *ibid. reſ.* 28.

25 Nouus Epiſcopus poteſt omnes licentias à prædeceſſore conceſſas regularibus ſuſpendere, & de nouo illos examinare. Id tamen fieri non poteſt à Capitulo, Sede

vacante; ex priuilegio à Clem. IV. concesso. *ibid. resol. 27. pag. 37.*

26 Vicarius potest dare facultatem absoluendi à reseruatis, si Præpositus absit per vnum diem, nec eodem die sit reuersurus; nisi subditus sine sufficienti causa, confessionem in illum diem differat. *ibid. res. 28.*

27 Quando Moniales virtute Iubilæi habent facultatem eligendi confessarium; tenentur illum designare Ordinario, sine cuius licentia non licet accedere ad monasteria. *ibid. res. 29.*

28 Equites D. Ioannis, D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, &c. cùm sint verè religiosi, & professionem emittant, possunt confiteri confessario non approbato per Episcopum. Nota per votum Equitum D. Iacobi, Alcantaræ, &c. non dissolui matrimonium ratum, sic decernente Pontifice.

Quod

Quod de Equitibus S. Ioannis minimè dicendum eſt. *ibid. reſ.* 30. *pag.* 38.

29 Poſſunt Regulares ordinari ab Epiſcopo extra tempora ex priuilegiis à Pontiff. conceſſis. *ibid. reſ.* 31.

30 Generales ordinum poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in interſtitiis. *ibid. reſ.* 32.

31 Licitum eſt legatum fratribus Minoribus relictum pro infirmis, pro fabrica templi, ornamentis Eccleſiæ, & emendis libris. Immò ſunt capaces legati relicti ad vitam alicuius fratris Minoris, quia non eſt legatum annuum perpetuum. *ibid. reſ.* 33. *pag.* 38. 39.

32 Poteſt fieri legatum Religioſo Profeſſo, ea conditione, vt nihil monaſterio acquiratur. *ibid. reſ.* 34.

33 Regularis exemptus, qui incurrit excommunicationem ob

crimen notorium, poteſt denuntiari ab Epiſcopo vt ab aliis vitetur. *ibid. reſ.* 35.

34 Regulares non includuntur in prohibitione Epiſcopi, ne quis exorcizet ſine ipſius licentia. *ibid. reſ.* 36. *pag.* 40.

35 Non eſt denuntiandum peccatum occultum fratris, ſuperiori tanquam patri, ſine præuia correctione fraterna, niſi in aliqua religione aliter per Conſtitutiones cautum ſit. *ibid. reſ.* 37.

36 Prælati Regulares tenentur corripere peccata venialia ſubditorum, ne diſciplina religioſa collabatur. *ibid. reſ.* 38. *pag.* 40. 41.

37 Carthuſiani extra morbum carnes comedere ſine peccato mort. non poſſunt. *ibidem*, *reſol.* 39.

38 Si quis breui tempore in ſæculo manens ſua debita ſol[illegible]re poſſit, puta intra biennium, tenetur

netur differre ingressum in religionem; sin minus, potest statim ingredi. Quod si post ingressum, aliqua hæreditas, legatum vel donatio illi obueniat, tenetur monasterium creditoribus satisfacere. *ibidem, resol.*41.

39 Prælatus regularis potest, ac debet inquirere in peccata occulta subditorum, vt illa fraternè corrigat, modò absit nimia, & anxia sollicitudo, quæ odium parit. Non tamen licet priuato religioso inquirere in vitam fratrum, vt illos fraternè corrigat: quia non sunt quærenda peccata, vt ipsa corrigantur. Vnde sequitur non licere in confessione interrogare de complicibus. *ibid. res.* 42. *pag.* 42.

40 Potest quis à religione strictiori transire ad laxiorem cum licentia Superioris. 1. ob corporis imbecillitatem. 2. si indignè tractetur. 3. si est infamatus. *ibid. res.* 43.

41 Nouitius recedens à religione, non reincidit in censuras, & irregularitates, à quibus vi priuilegiorum fuit absolutus. *ibid. res.* 44. *pag.* 43.

42 An possint Prælati regulares dispensare cum suis subditis super irregularitate orta ex homicidio voluntario, & ex bigamia, non satis liquet; cùm vtrinque suppetant rationes. *ibid. res.* 45.

43 Puella duodennis potest suscipere habitum religiosum, sed ante professionem debet Episcopi examen subire. *ibidem, resol.* 47. *pag.* 44.

44 Qui sine licentia Ordinarij loquitur cum Moniali (Abbatissam excipio) vel solis nutibus, & signis, incurrit in excommunicationem; nisi excuset paruitas materiæ. Excipiuntur pueri, & puellæ ante annum 14. completum. Item aduenæ, & peregrini, si cum Monialibus colloquuntur in ciuitate,

tate, vbi domicilium non habent. Item Episcopi. Item colloquentes cum nouitia. Ad vitandum verò peccatum, & pœnam excommunicationis, sufficit habere licentiam ab Ordinario, verbo tenus. *ibid. res.48.pag.44.45.*

45 Superiores regulares non possunt aliquid vetare, sub pœna excommunicationis sibi reseruatæ. Quia ex Decreto Clem. VIII. omnis reseruatio illis interdicta est. *ibid. res.49.pag.45.*

46 Religiosus factus Episcopus, eximitur à Paúpertatis voto, fitque verus dominus redditiuum Ecclesiasticorum; neque tenetur ad obseruantiam regularem, nisi ex quadam honestate. Neque si omittat habitum suæ religionis, incurrit excommunicationem. *ibid. res.50.pag.46.*

47 Confessarius regularis, qui cum licentia accersitur ad audiendam confessionem Monialis

infirmæ, poteſt ingredi cum ſocio, & ſtatim à confeſſione debet egredi. *ibid. reſ.* 51. *pag.* 46.

48 Monialis quæ voluitur cum rota ad eam partem, ad quam ſæculares accedunt, non violat clauſuram ob paruitatem materiæ. At ſi extra limen ianuæ vtrumque pedem efferat, ille egreſſus ſufficiens eſt ad culpam lethalem, & ad cenſuras incurrendas; ſecùs autem ſi alterum pedem intra limen retineat. *ibid. reſ.* 52.

49 Qui ignorat nullitatem ſuæ profeſſionis, vel impeditur, quo minus reclamet intra quinquennium, poteſt adhuc reclamare. *ibid. reſ.* 53. *pag.* 46. 47.

50 Regularis qui iuſtam habet cauſam appellationis, poteſt omiſſis mediis ſuperioribus ad Papam prouocare, quando Prælati corrigentes excedunt limites religioſæ diſciplinæ. *ibid. reſ.* 54. *pag.* 47. Poteſt item, ſi ab imme-

diato

diato superiore fuerit nimiùm grauatus, & iniustè vexatus, sine illius licentia exire è Monasterio, vt adeat Superiorem supremum, & de iniuria conqueratur. *ibid.res.* 56.*pag.*47.48.

51 Si quis ingressurus nouitiatum, aliquid donauit, vel renuntiauit, factum tenet, éstque validum. Quia nondum erat nouitius; Concil. autem Trident. *sess.* 25.*c.*16. solùm vetat, ne nouitius donet.*ibid.res.*55.*pag.*47.

52 Vt valida sit professio, complendus est annus nouitiatus de momento ad momentum. *ibid.res.* 57.*pag.*48.

53 Concionari possunt regulares in suis Ecclesiis, contradicente Episcopo. Tamen in praxi melius est non concionari, ne ex illa concione plus existat scandali, quàm fructus.*ibid.res.*58.

54 Regulares non possunt in foro conscientiæ vti priuilegiis

ſuis, expreſsè reuocatis per Conc. Trid. *ibid. reſ. 59.*

55 Expulſus à Religione non tenetur ſe emendare, vt ad illam redeat, neque obligatur ad vota paupertatis, & obedientiæ, nec ad officium diuinum; ſi non eſt in ſacris, nec ad ieiunia, aliáve onera religionis. *ibid. reſ. 60. pag. 49.*

56 Qui tranſit ad aliam religionem, poteſt ſecum deferre ſcripta, & libros à ſe compoſitos. *ibid. reſ. 63. pag. 50.*

57 Ad faciliùs impetrandam receptionem ſuam in aliqua religione poteſt quis gratis, & ſponte dare munera ſuperioribus, vel aliis. Notandum autem habitum ordinum regularium equeſtrium eſſe, hominum iudicio, quid honorificum, proindeque honorem illum eſſe pretio æſtimabilem. *ibid. reſ. 64.*

58 Non facit contra paupertatem religioſus emens libros ex pecu

pecunia sibi donata inscio superiore, si illos in cubiculo expositos teneat tantùm ad vsum. *ibid. ref.* 65. Potest etiam facere eleemosynas nomine illius, à quo accepit pecuniam. *ibid.* Necnon depositum accipere, & seruare, ita vt deponens, omne ius dominij, & possessionis retineat. *ibid. pag.* 51.

59 Introducentes fœminas in monasterium, incurrunt excommunicationem, & pœnam priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa; non tamen absque sententia iudicis. *ibid. ref.* 66. *pag.* 51.

60 Ingredientes monasteria monialium cum licentia, si finito ministerio diutius ibi morentur ob malum finem, non incurrunt excommunicationem latam à Greg. XIII. Quia lata est contra ingredientes sine licentia. *ibidem, ref.* 67. *pag.* 52.

61 Derogatio priuilegiorũ alicuius religionis sub qualibet amplissima

plissima forma non valet, nisi fuerit intimata. *ibid. res.* 68.

62 Peccata carnis in religione sunt contra bonum publicum, atque adeo Superiori denuntianda; præmissa tamen correctione fraterna. *ibid. res.* 69. *pag.* 53.

63 Simplex religiosus potest de licentia superioris alium admittere ad professionem solemnem. *ibid. res.* 70.

64 Possunt Prælati regulares commutare, & dispēsare vota Nouitiorum. Possunt item absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ. *ibid. res.* 71. 72.

65 Nouitij gaudent priuilegiis Religioni concessis. *ibid. res.* 73. *pag.* 54.

66 Nouitius etiam fratrum Minorum, aut Capucinorum potest in suo testamento reseruare electionem puellarum, quibus suus hæres soluere debet quotannis certam pecuniam, cum licentia

superioris.

superioris. Poteſt item Religioſus ſuum teſtamentum ante profeſſionem factum declarare, ſi eſt dubium. *ibid. reſ. 74. 75.*

67 Non poſſunt Regulares ab Epiſcopo compelli ad proceſſiones, per cenſuras. Non tamen debent facere proceſſiones extra ambitum Conuentus abſque licentia Epiſcopi; de iure communi. *ibid. reſ. 76. 77*

68 Prælati regulares non tenentur facere profeſſionem fidei. At lectores Philoſophiæ, & Theologiæ, vbi Bulla Pij IV. eſt recepta, tenentur. *ibid. reſ.* 78. *pag.* 55.

69 Prohibitum eſt regularibus ſtudium Iuris ciuilis, abſque licentia ſuperioris. *ibid. reſ.* 79. *pag.* 55.

70 Poſſunt regulares vti altari portatili, præſertim itinerantes. *ibid. reſ.* 80.

71 Aliæ religiones gaudent priuilegiis

uilegiis concessis Societati Iesu. *ibid. res.* 81.

72 Possunt superiores admittere nouitium omissis informationibus: neque incurrunt pœnas Bullæ Sixti V. si nouitius careat illis defectibus. *ibid. res.* 82. 83. *pag.* 55. 56.

73 Non interrumpitur annus nouitiatus per egressionem nouitij è monasterio cum licentia superioris. Immò etiam sine licentia; cum animo tamen redeundi. *ibid. res.* 84. *pag.* 56.

74 Possunt Prælati regulares absoluere suos subditos malè promotos ad Ordines. *ibid. resol.* 85.

75 Regulares, latinæ linguæ minus periti, possunt ab Episcopis ordinari: quia non ordinantur ad curam animarum suscipiendam. *ibid. res.* 86.

76 Generalis, & Capitulum generale possunt limitare, vel adimere

mere fratribus vſum priuilegiorum Apoſtolicorum; nihil tamen poſſunt ſtatuere contra ius commune. *ibid. reſol.* 87. *pag.* 56. 57. 58.

77 Non abrogantur Regularibus priuilegia per non vſum. *ibid. reſ.* 88. *pag.* 58.

78 Poteſt ſuperior dare licentiam religioſo, vt maneat extra clauſtra, ad ſubueniendum parentibus in graui neceſſitate conſtitutis: non tamen de bonis monaſterij ſibi in vſum conceſſis abſque licentia *ibid. reſ.* 90.

79 Prælatus votum ſubditi de tranſeundo ad ſtrictiorem religionem poteſt diſpenſare. *ibid. reſ.* 91.

80 Solus metus reuerentialis annullat profeſſionem. *ibid. reſol.* 42.

81 Non videtur puniendus regularis, qui expoſitus ad excipiendas tantùm virorum confeſ-

ſiones,

ſiones, excepit etiam fœminarum virtute Iubilæi: quia fecit ſecundùm opinionem probabilem. *ibid. reſ.93.pag.59.*

82 Poſſunt Abbates Clericis ſæcularibus ſibi ſubditis literas dimiſſorias concedere. *ibid. reſ. 95.*

83 Moniales extra chorum tenentur recitare horas canonicas, ratione ſtatus Eccleſiaſtici. *ibid. reſ.96.pag.59.60.*

84 Abbatiſſa poteſt paciſci de certa pecuniæ ſumma, donec dos Monialis Monaſterio ſoluatur; ratione damni emergentis. *ibid. reſ.97.pag.60.*

85 Poteſt Monialis vidua eligi in Abbatiſſam; lex enim id prohibens abrogata eſt per contrarium vſum. Non poſſunt tamen Moniales de Monaſterio ad Monaſterium transferri, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, ex Decreto Pauli V. *ibid. reſ.99.*

86 Non licet à nouitiis monialibus accipere aliquid vltra victum, & veſtitum, ne mutuum quidem; propter particulam (*quocumque prætextu*) additam in Decreto Concil. Trident. *ſeſſ.* 25.*c.* 16. Si autem exceſſiua dos pro ingreſſu accipiatur, exceſſus eſt reſtituendus, niſi liberaliter concedatur. *ibid.reſ.* 100.*p.*61.

87 Poteſt Prælatus Monialium diſpenſare, vt illegitima fiat Abbatiſſa.*ibid. reſ.* 101. Poſſunt item Generales Ordinum cum illegitimis diſpenſare ad dignitates & officia Ordinis abſque Capitulo. Legitimatus autem à magiſtratu ſæculari, ſi ingrediatur religionem, non cenſetur legitimatus ad officia Ordinis: quia magiſtratus non tollit impedimenta canonica *reſ.* 102.

88 Regularis accedens ad monaſterium Monialium ſine licentia Epiſcopi, non incurrit excom-

municationem ab Episcopo latam; propter priuilegium, quo Regulares exprimuntur ab excommunicatione Episcopi. Si tamen accedat contra formam Decreti sacræ Congregationis vltra pœnas appositas, peccat mort. *ibid. ref.* 103, 104.
89 Concedi potest Moniali infirmæ, licentia exeundi è Monasterio, vt medeatur morbo ita periculoso, vt eius salus alioquin periclitetur. *ibidem, resol.* 105. *pag.* 61.
90 In festis ab Episcopo iniunctis Regulares suum ritum retinere possunt quoad Missas, & diuina officia. *ibidem, ref.* 108. *pag.* 62.
91 Non possunt Episcopi ea, quæ iurisdictionem dicunt, in Ecclesiis regularium ipsis inuitis exercere. *ibid. ref.* 109.
92 Casus reseruati Superiori, non pertinent ad nouitios: quia ad

ad onera religionis non tenentur. *ibid.ref.*110.*pag.*63.
93 Regulares ſine licentia Epiſcopi, in alienis Eccleſiis concionari non debent. *ibid.reſ.*111.
94 Religioſi virtute ſuorum priuilegiorum ordinari poſſunt non ſeruatis interſtitiis. *ibid.reſ.* 112.
95 Regularis, qui ſcit ſuam profeſſionem eſſe irritam, peccat mort. ſi ſuſcipiat ſacros Ordines, & eſt ſuſpenſus: ordinatur enim ſine titulo patrimonij. *ibid. reſ.*113.
96 Bona religioſi tranſeuntis ad aliam religionem, pertinent ad primum Monaſterium; tenetur tamen illi dare ſufficientia alimenta. *ibid.reſ.*114.*pag.*64.
97 Religioſus exuens habitum in loco ſecreto, vt commodius ei ſit; vel vt meliùs currat, ſaltet, &c. non incurrit excommunicationem. Neque ſi iniuſtè grauatus à

Prælato immediato, fugit ad Prælatum superiorem, fine habitu religionis, ne agnitus comprehendatur. *ibid. resʃ.* 115.

98 Religiosum eiectum ab Ordine, si emendatus petat ingredi, non tenentur Superiores recipere; neque ipse tenetur adj aliam religionem transire. *ibid. resʃ.* 116.

99 Prælati regulares, qui non sunt electiui, possunt amoueri à suis prælaturis ad libitum suorum Superiorum, etiam sine causa; non tamen accusatione, & inquisitione contra ipsum pendente. *ibid. resʃ.* 117. *pag.* 64. 65.

100 Superior Regularis non potest sibi reseruare tactus impudicos, & oscula: quia non comprehenduntur in Decreto Clem. VIII. *ibid. resʃ.* 118. *pag.* 65.

101 In generali concessione facta Regularibus eligendi Confessarium, non comprehenditur absolutio à casibus reseruatis, etiam

etiam extra Monasterium. *ibid. res.* 119.

102 Possunt Regulares cadauera in vno loco ad tempus deposita, in alium transferre sine Episcopi licentia. *ibid. res.* 120.

103 Regulares approbati in vna diœcesi, si in itinere non possunt facilè Ordinarium adire, possunt in alia confessiones audire. Ex priuilegiis Pontiff. *ibid. res.* 123. *pag.* 66.

104 An expediat Generales Religionum esse perpetuos, nécne; in vtramque partem disceptari potest. *ibid. resol.* 124. *pag.* 66. 67.

105 Regulares conuenientes inter se, vt sibi vicissim suffragentur, committunt simoniam. *ibid. res.* 125. *pag.* 67.

106 Si Superior regularis Confessario petenti potestatem absoluendi aliquem à casu reseruato, dare noluerit, potest pœnitentem

absoluere pro illa vice. *ibid. res.* 26.

107 Non potest Monialis transire de vno monasterio ad aliud reformationis causa, sine licentia Papæ, sic enim declarauit Congregatio Cardinalium. *ibid. resol.* 127. *pag.* 68.

108 Professio aliquot mensibus post annum nouitiatus emissa, est valida. Licet superioribus post annum probationis expletum, differre professionem nouitij iustam ob causam. *ibid. res.* 128.

109 Licentia ingrediendi monasteria Monialium habenda est scripto, præterquam in casibus ordinariis quoad medicos, chirurgos, &c. quibus Abbatissa potest dare licentiam. *ibidem*, *resol.* 126.

110 Non licet Episcopis permittere mulieribus ob suspicionem adulterij, vel rixas cum viris, vt in monasterium se recipiant securitatis

ſecuritatis gratia. *ibidem*, *reſol.* 130.
111 Puellæ deſtinatæ religioni poſſunt admitti in monaſteria ante annos diſcretionis. *ibid.reſol.* 131. *pag.*68.69.
112 Epiſcopus virtute Conc. Trid. non poteſt Regularem notoriè delinquentem mittere in carcerem, nec formare proceſſum contra illum; defectu iuriſdictionis *ibid. reſ.*132.*pag.*69.
113 Priuilegia mendicantium de celebrandis Miſſis tempore interdicti, non ſunt per Conc. Trid. reuocata. *ibid. reſ.*133.
114 Epiſcopus non habet iuriſdictionem in regulares exemptos, etiamſi ſit in poſſeſſione illos iudicandi. Quia exemptus non poteſt ſine licentia ſummi Pontif. exemptioni renuntiare. *ibid. reſ.* 134.
115 Regulares extra chorum vti poſſunt Breuiario Rom. vel

alterius religionis. *ibidem*, *ref.* 135.

116 Regulares migrare possunt ex Conuentu insalubri, in alium salubriorem sine licentia Episcopi: quia Concil. Trident. loquitur de noua erectione, non autem de mutatione domorum. *ref.* 136.

117 Decretum Pij V. quo fit potestas Monialibus exeundi è Monasterio propter lepram, & epidimiam, seu pestem, non est extendendum ad alias infirmitates his aliquo pacto consimiles, sed tamen benigniores, etiamsi grauis, & diuturnus morbus inde timeretur. 2. *part. tract.* 1. *Miscell. ref.* 23. *pag.* 50.

118 Parentes qui cogunt filias impuberes intrare Monasterium, vt ibi educentur, non incurrunt excommunicationem Conc. Trident. quia parentes habent ius naturale offerendi liberos Religioni, & liberi tenentur obedire parentibus,

rentibus, neque poſſunt, ante annos pubertatis de Monaſterio exire. At ſi fœminæ cogantur intrare monaſterium, puberes, id eſt, poſt annum ætatis 12. qui cogunt, incidũt in excommunicationem, etiamſi non iubeant illas ingredi, vt habitum ſuſcipiant, neque vt profeſſionem emittant, ſed ſolùm vt ibi maneant, quoad detur occaſio nubendi. Concilium enim abſolutè prohibuit ingreſſum Monaſterij, & rectè, quia per illum ingreſſum datur occaſio, vt deinde puella ob verecundiam, & Monialium ſuaſionem ſuſcipiat habitum inuoluntaria, quæ eſt indirecta coactio, vt ſi parentes malè tractent puellam in victu, veſtitu, verbis contumelioſis; ſic enim etiam incurrunt excommunicationem, & grauiter peccant: cùm enim fœminæ maioris ætatis ſint ſui iuris in iis, quæ ad animæ ſtatum pertinent, non poſſunt à pa-

rentibus cogi, moneri autem possunt, neque metus reuerentialis inducit excommunicationem. *ibid. res.* 56. *pag.* 68. 69.

119 Superiores regulares possunt suis subditis litteras dimissorias concedere ad Episcopum diœcesis; vel si absfuerit, vel ordinationes non sit habiturus, ad quemcumque alium Episcopum: vult tamen Concil. Trident. in illis dimissoriis exprimi causam absentiæ Episcopi diœcesani, vel ordinationum ab eo non habendarum. 2. *part. tract.* 2. *Miscell. res.* 15. *pag.* 82.

120 Ingredientes Monasteria Monialium non prætextu licentiarum, sed absque vlla prorsus licentia, etiam ad malum finem, non incurrunt excommunicationem Gregorij XIII. quia ille casus non continetur in Bulla. *ibid. res.* 32. *pag.* 89. Neque Moniales admittentes aliquem intra septa

Mona

Monasterij, prætextu licentiarum etiam ob malum finem: quia Bulla loquitur de Abbatibus, & Abbatissis; nulla autem de Monialibus fit mentio. *res.* 33. 34.

121 Potest Episcopus vigore Concil. Trident. absoluere eum, qui Monasterium ingressus cum sacra virgine incestum commisit, dummodo sit occultus. *res.* 35.

122 Quando Religiosus habet à suo Prælato facultatem confitendi Sacerdoti sæculari, potest cuiuis confiteri, etiamsi ab Episcopo non sit approbatus: neque hæc sententia est contra Concil. Trid. nam *sess.* 23. *c.* 15. solùm decernit, nullum Sacerdotem, etiam regularem posse excipere confessiones sæcularium, absque approbatione Episcopi; igitur poterit sine approbatione eiusdem, Regularium confessiones audire, immo probabile est Regulares vigore Iubilæi, seu Bullæ Cruciatæ posse

posse eligere Confessarium regularem approbatum solùm ab eius superiore absque approbatione Episcopi. Nam licet in Iubilæis, & in Bulla Cruciatæ exprimatur confessarium debere esse ab Ordinario approbatum, illud intelligendum est iuxta formam traditam in Conc. Trid. citato requirente approbationem ab Episcopo in confessionibus sæcularium; at in confessionibus Regularium sufficit approbatio superioris, qui est veluti ordinarius Regularium. Ex his sequitur, Regulares qui habent in itinere facultatem confitendi cuicumque Sacerdoti extra ordinem, posse eligere Sacerdotem sæcularem non approbatum ab Episcopo, dummodò sit idoneus. Notandum tamen sub tali licentia non includi facultatem, vt absolui possint à casibus reseruatis, maximè à confessariis sæcularibus. Quare si Regularis
in

in itinere incidat in casum reseruatum, & necesse sit celebrare, potest ad vitandum scandalum celebrare sine præuia confessione, eliciendo actum contritionis, vel potest cum attritione confiteri etiam peccata reseruata, si velit, à quibus absoluetur indirectè, sed postea tenebitur ea iterum aperire Sacerdoti super illa iurisdictionem habenti, vt ab illis directè absoluatur. *res.*4.

124 Religiosus à Prælato suo non præsentatus potest ab Ordinario validè approbari, & de eius licentia confessiones sæcularium audire, & virtute Iubilæi, aut Bullæ Cruciatæ eligi: quia in eo reperiuntur omnia requisita, approbatio scilicet, & iurisdictio. *res.*7. Item Regularis olim approbatus, & postea sine causa reprobatus ab Ordinario, est eligibilis virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi. *ibid.*

Duellum.

Duellum.

1 QVi moritur ex vulnere in duello inflicto, si viuus discesserit à loco conflictus, non est priuandus ecclesiastica sepultura: quia verba Conc. Trid. cùm sint verba legis pœnalis, vltra rigorem litteræ non sunt extendenda. 2. *part. tract.* 2. *Miscell. res.* 54. *pag.* 96.

2 Si quis prouocato ad duellum aduersario sese ad locum condictum, præfixo tempore conferat, ibíque frustrà expectato inimico discedat, non incidit in excommunicationem Bullæ Greg. XIII. Item si quis offensus ab alio illum prouocet ad duellum, non tamen habeat animum pugnandi, & sciat certamen non secuturũ, eo quod sit ab amicis impediendum; sed hoc faciat ad reparandum honorem læsum, etiamsi vterque veniret

ret ad locum designatum, &c. gladios distringerent; neuter incurreret excommunicationem. *ib. res.* 55.

3 Si quis inimicum arguat mendacij, si sustinere voluerit, quod sibi relatum fuit, etiamsi hoc dicendo stringat gladium, non incurrit excommunicationem: quia non est prouocatio ad duellum facta ex condicto. 3. *part. tract.* 6. *Miscell. res.* 1. *pag.* 225. 226. Neque qui alium prouocat ad pugnam nullo statuto tempore, aut loco. Nec qui ad locum duelli accedit inspiciendi causa, modò duellum secutum non sit. Nec qui duellum spectat obiter, & in transitu. Nec qui aliquid narrat, quod videt esse posse causam duelli, nisi illud narret, vt ad duellum incitet. Nec qui legunt scriptum quo aliqui se prouocant ad duellum. Nec qui ratam habet prouocationem, vel pugnam suo nomine

mine factam. Nec qui postquam consuluit duellum, conatus est suum consilium reuocare, licet reipsa sequutum fuerit duellum. Nec qui orta repente rixa, se prouocant ad pugnandum in aliquo loco, ad quem statim se conferunt, & ibi dimicant; quia non adest assignatio temporis. *ibid.*

4 Potest Princeps ad maiora mala vitanda in casu extraordinario, duellum permittere. *ibid.*

5 Quod attinet ad scripta prouocantia ad duellum, possunt famuli ea scribere, si alioquin ipsis immineret periculum mortis, aut alterius grauis damni. In nullo autem casu licet ea scripta deferre; quia id est intrinsecè malum; quamuis opposita sententia non sit improbabilis. *ibid.*

E

ELEEMOSYNA.

1 QVi habet certam pecuniæ ſummam diſtribuendam pauperibus, non tenetur eligere pauperiores, modò eligat pauperes. Nomine autem pauperum intelliguntur Hoſpitalia, Monaſteria, Eccleſiæ indigentes luminaribus, ornamentis, fabrica. Item ij, qui non poſſunt honeſtè viuere iuxta ſuam conditionem, licèt ſint alioquin nobiles. Videndum tamen, quænam ſit intentio teſtatoris. 2. *part. tract.* 1. *Miſc. reſ.* 8. *pag.* 44.

2 Nemo tenetur facere eleemoſynam de ſuperfluis ad decentiam ſtatus, niſi in extrema vel graui proximorum neceſſitate; alioquin damnandi eſſent omnes diuites,

qui domi habent superflua, *ibid. res.12.pag.56.*

3 Potest vxor, etiam inuito marito, facere moderatas eleemosynas, quæ vigesimam partem annui census non excedant: nam maritus est irrationabiliter inuitus, cùm eiusmodi donationes, & eleemosynæ pertineant ad decentiam status. *ibid. res.33.*

Episcopus.

1 EPiscopus in aliena diœcesi non potest celebrare Missam in Pontificalibus, seu cum baculo pastorali, & mitra absque licentia Ordinarij eius loci. 3. *part. tract.6. Miscell. resol. 36. pag. 239.*

2 Archiepiscopus si fiat Episcopus, non potest vti pallio, nisi Summus Pontif. speciali priuilegio vsum pallij illi concedat: quia pallium est proprium gestamen

men Archiepiſcoporum. *ibid. reſ. 37. pag.* 240.

3 Poteſt Epiſcopus nouum conſtituere Canonicorum numerum, & Collegium, nouáſque creare dignitates. *ibid. reſ.* 38.

4 Epiſcopus conſecrans chriſma, vel oleum, ſeu conferens minores Ordines, ſeu conſecrans Eccleſiam in peccato mortali, non peccat mortaliter. *ibidem, reſ.* 67. *pag.* 251.

5 Si vigilia S. Mathiæ incidat in vltimum diem Bacchanalium, poteſt Epiſcopus transferre ieiunium in præcedens Sabbathum, ne violetur ieiunium. *ibidem, reſol.* 66.

Excommunicatio.

1 IGnorantia etiam mortaliter culpabilis, ſiue iuris, ſiue facti, modò non ſit craſſa, excuſat à cenſuris, & pœnis, immò ſola

ignorantia non crassa excommunicationis, seu censuræ excusat, licet adsit scientia iuris. Est autem ignorantia crassa, quæ ex malitia, vel nimia negligentia procedit. Si tamen verba censuræ sic haberent: *Qui scienter hoc fecerit; vel qui præsumpserit.* ignorantia etiam crassa, & supina, immo & affectata excusaret. 3.*part.tract.* 5.*Miscell. res.*12. *&* 13.*pag.* 182. 183.

2 Nemo tenetur vitare eum, qui percussit Clericum publicè, & notoriè, nisi percussio sit eiusmodi, vt nullo modo celari, aut excusari possit, quod vix potest constare ante sententiam Iudicis. Quamobrem raro contingit, vt percussio Clerici sit ita notoria, quin possit probabiliter excusari; vnde sequitur publicum Cleri percussorem ante sententiam Iudicis vix esse vitandum. *ibid. res.* 14.*pag.*183.

3 Sacer

3 Sacerdotes priuatim in domibus ſuis audientes lectorem legum, & iuris ciuilis, non incidunt in excommunicationem; neque ſi ſtudeant legibus in ſcholis publicis, quatenus illud ſtudium conducit ad notitiam Iuris canonici: ſed hoc poſtremum intelligendum eſt in foro interiori; nam in exteriori præſumerentur excommunicati. *ibid. reſol.* 27. *pag.* 189.

4 Chriſtiani remigantes in triremibus Turcarum, non peccant mortaliter, neque incurrunt excommunicationem: quia illorum cooperatio ad inferendum damnum rei Chriſtianæ, eſt tantùm materialis; & etiamſi nollent operam ſuam nauare, non deeſſent tamen alij, qui hunc laborem obirent. At ſi res ſit eo loco, vt niſi Chriſtiani captiui adiuuent, res Chriſtiana ſit ab imminenti periculo eripienda; tunc bonum Rei-

publ. Christianæ erit propriæ vitæ anteponendum. *ibidem, res.36. pag.192.* Item, potest Christianus vendere Idolum infideli, aut Iudæis in Synagoga ædificanda operam suam locare, si prematur inopia; quia non cooperatur peccato, nisi materialiter, vrgente necessitate. *ibid.*

5 Paruitas materiæ excusat interdum ab excommunicatione: vt si quis transiens paucis alloquatur monialem; si quis exiguum quid furatus sit in Ecclesia. *ibid. res. 69. pag. 204.*

6 Peregrini non obligantur excommunicationibus, aut censuris locorum, per quæ transeunt; quia potestas iurisdictionis tantùm se ad subditos extendit. Ita excommunicatio lata contra eos, qui sciunt aliquod furtum, seu delictum esse commissum, non ligat transeuntes. *ibid. resolut. 73. pag. 206.*

7 Episcopus non potest excommunicare etiam per sententiam suum subditum existentem extra diœcesim, si in ea non deliquerit: quia eius iurisdictio non extenditur extra diœcesim, vnde non potest Episcopus præcipere clerico peregrinaturo sub pœna suspensionis, ne ludat, ne arma prohibita ferat, &c. nisi fortè quatenus ob iustam causam posset ei præcipere, ne diœcesim egrediatur, & tunc quidem non incurreret suspensionem ludendo, &c. sed egrediendo diœcesim. Si autem subditus deliquit in diœcesi, potest Episcopus illum excommunicare, etiamsi extra diœcesim commoretur. *ibid. res.* 74.

8 Clericus seipsum voluntariè percutiens non videtur incurrere excommunicationem: quia Canon, *si quis suadente*, &c. clarè loquitur de persona distincta. *ibid. res.* 81. *pag.* 210.

9 Percutiens Clericum qui non habet beneficium, neque requiſita Concilij Trid. incurrit in excommunicationem: quia hic Clericus amittit priuilegium fori, non autem Canonis. *ibid.reſ.*82.

10 Qui alteri homicidium iniuſtum perſuaſit, & poſtea ſeriò conſilium reuocauit, ſi nihilominus homicidium perpetretur, non incurrit in excommunicationem, neque in irregularitatem, neque etiam probabiliter obligatur ad reſtitutionem: quia fecit quod potuit, vt prius conſilium euerteret, ac proinde non videtur executor ipſius conſilio fuiſſe impulſus, ſed potius ſua malitia. *ibid. reſ.* 83.*pag.*210.211.

11 Edictum ſuperioris reuelare iubens delictum aliquod occultum ſub pœna excommunicationis intra certum tempus, nō comprehendit eos, qui tempore edicti ſunt extra diœceſim, vel territorium,

rium, vel qui ſunt ignari edicti: quare ſi poſt elapſum illud tempus non denuntiant cum poſſint, non incurrunt excommunicationem; quia edictum vltra præfixum tempus non habet vigorem. *ibidem, reſ.95.pag.215.*

12 Excommunicatio lata contra ſcienter aliquid facientes non afficit contrauenientes ex ignorantia affectata: quia verba legis pœnalis non ſunt extendenda vltra propriam ſignificationem. *ibid. tract.6.reſ.7.pag.227.*

13 Excommunicatio ferenda ſignum eſt obligationis ſub peccato mort. ſuſpenſio autem, interdictum, & irregularitas pœnalis, ſi abſolutè non ferantur, ſed ferendæ ſint, non ſunt ſignum obligationis ſub mortali. *ibid. reſ. 76. pag.254.*

F

FAMA.

1 QVI affectus iniuria, magnam famæ iacturam faceret, si fugientem non persequeretur, potest persequi inuasorem, & percutere; immò & occidere, si opus sit ad sui honoris reparationem. Quia vt ego possum persequi furem, & rem meam (quam suppono esse magni pretij) illata etiam morte ab eo extorquere, sic potiori iure possum persequi infamatorem, & raptam mihi famam qua possum ratione repetere. *2.part.tract.1.Miscell.res. 15.pag.46.47.*

2 Qui alium occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, cùm posset fugiendo vitam seruare, non peccat, nec incidit in irregularita

laritatem, si non potest fugere sine graui infamiæ nota: quia non potest vitare periculum sibi ab aduersario imminens, nisi occidẽdo: quod enim sine graui infamia vitari non potest, censetur moraliter ineuitabile. *ibid. res.16.p.*47.48. Non tamen licet præuenire & occidere inimicum, quamuis paratum ad inuadendum, donec actu inuadat; quia nemini priuato licet alium occidere, nisi ad necessariam defensionem. 5.*part.tract.*5.*res.*90.*pag.*213.

3 Licet clàm occidere eum, qui in iudicio conatur aliquẽ calumniis opprimere in causa magni momenti: quia hoc non tam est occidere, quàm se defendere. Licèt autem id non prohibeatur iure naturæ; tamen iure positiuo prohiberi potest, & re ipsa prohibitum est legibus; nam talis occisor deprehensus, morte mulctatur, vt obuiam eatur infinitis cædibus,

quæ

quæ ſub prætextu tuendæ famæ, aut vitæ quotidie perpetrarentur. *ibid. reſ.97.pag.216.*

Festum.

1 RVſticani, qui diebus feſtis inter ſe contractus celebrant, & Notarij qui adſunt, non peccant, modò abſit ſcandalum. Quia neceſſitas illos excuſat, cùm profeſtis diebus operi ruſtico ſint intenti. Item tonſores, qui feſtis diebus tondent & radunt nouaculâ, quique ad tonſtrinam accedunt, ratione conſuetudinis quæ toleratur à Prælatis, & ratione lucri ceſſantis, à peccato excuſantur; quia aliis diebus propter occupationes, tondendi non accedunt. Sic Summus Pontif. feſto die permiſit piſcationem halecum, quæ vno anni tempore recurrit. *2. part. tract.1. Miſcel. reſ.37.p.57.*

2 Notarij, Commiſſarij, & alij Offi

Officiales Curiæ, diebus festis transcribentes acta; item qui sermones Concionatorum, & allegationes Doctorum mercede trãscribunt, non videntur peccare mort. Quia transcribere non est opus seruile; talis enim actio de se est, mentalis & spiritualis, & per accidens est, quòd hac, vel illa intentione fiat. *ibid. res.* 35.

3 Agasones, seu muliones, qui audito Sacro cum iumentis oneratis itineri se committunt, non peccant mort. quia in oneribus leuandis & imponendis (quod est opus seruile) non multum temporis consumunt: ergo ob paruitatẽ materiæ à peccato mort. excusantur. Paruitas autem materiæ excusans à peccato mort. est spatium duarum horarũ. *ibid. res.* 36. *pag.* 58.

4 Episcopus non potest instituere diem festum alicuius Beati nõdum canonizati: neque potest hic Beatus in Litaniis publicè inuocari;

ri; neque licèt illius imagines pingere cum radiis, aut diademate. 3.*p.tract.* 5. *Miscel.res.* 9. *p.* 181.

Fides Christiana.

1 EXplicita fides Incarnationis, SS. Trinitatis, Circumcisionis, Resurrectionis, &c. non est adultis necessarium medium ad salutem. Quia quidam sunt adeo rudes, vt hæc mysteria vero conceptu non apprehendant, ac proinde nec explicitè credant: præterea muti, & surdi à natiuitate non possunt ista doceri. Quod attinet ad Sacramenta, omnes explicitè scire debent substantiam Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ: de cæteris idem dicendum, si quis ea suscipere voluerit. Item non peccant mort. adulti nescientes se signare signo Crucis; sed venialiter tantùm. Item nescientes Symbolum Apostolorum, Decalo

calogum, Orationem Dominicã, dummodo eorum substantiam sciant, venialiter tantum peccant. Hortandi sunt tamen fideles, vt illa omnia explicitè sciant, & memoria teneant. 3. *part. tract.* 5. *Miscell. res.* 46. & 48. *pag.* 195. 196.

2 In terris Turcarum licet vti pileo Turcico ad vitandum periculum mortis, aut iustam de hoste victoriam reportandam, vel ob aliam causam satis grauem, & necessariam: quia huiusmodi vestes per se, & directè non sunt signa protestatiua falsæ religionis, sed sunt ex se indifferentes. Hinc infertur posse aliquem Romæ gestare pileum cum signo flauo more Iudæorum, vt dum quæritur ad necem, incognitus effugiat. *ibid. res.* 49. *pag.* 197.

3 Non semper obligat præceptum de profitenda fide, ad respondendum infideli interroganti, an sit Christianus; sed tunc tantùm,

tùm, quando diſſimulatio fidei cederet in iniuriam rei Chriſtianæ, aut in ſcandalum proximi. Immò etiam tunc licet eludere aliqua ratione, non tamen negare ſe eſſe Chriſtianum. *ibid.*

Furtum.

1 PRobabilis eſt ſententia aſſerens, in graui neceſſitate licere furari aliena occultè, vt enim diues in hoc caſu tenetur dare, ita pauper poteſt accipere abſque iniuria; neque diues in hoc caſu poteſt eſſe rationabiliter inuitus circa ſubſtantiam rei acceptæ, ſed tantùm poteſt ei diſplicere modus, quia pauper maluit furari, quàm petere. 2. *part. tract.* 3. *Miſcell. reſ.* 29. *pag.* 111.

2 Quando plures alicui graue damnum inferunt per minuta furta à ſingulis ſeorſim commiſſa, ita vt nullus alium iuuerit, non peccant

peccant mort. neque tenentur ad restitutionem: quia singuli leue damnum inferunt, neque ex eo quòd alij furantur, aggrauatur aliorum peccatum, quia non sibi mutuam opem præbent, nec alter alteri est causa furandi. *ibid. resol.* 42. *pag.* 116. 117.

3 Fur, seu quiuis alius iniquus possessor rei alienæ, tenetur præter rem ipsam, restituere æstimationem illius incrementi, seu pretij, quo dominus eam vendidisset, si erat eam venditurus in optimo statu, vel summa æstimatione. Secùs autem si eam non erat venditurus; nam tunc sufficit restituere rem vti est, modò tamen non sit effecta deterior, vel minoris pretij quàm erat antea, quod non cōtigisset, si res fuisset apud verum dominum. *ibidem*, *resol.* 51. *pag.* 120. Si autem ignoratur quo tempore verus dominus esset rem illam venditurus, in tali casu resti-

tutio facienda erit iuxta valorem, ſeu pretium medium inter ſummum, & infimum. *ibidem*, *reſ.* 52.

4 Quantitas requiſita ad furtum, vt ſit peccatum mort. reſpectu diuitum eſt circiter 60. aſſium: reſpectu perſonarum communium circiter 20. aſſium: reſpectu pauperum circiter 7. aſſium. *ibid.reſ.* 59.*pag.*122.

5 Qui bona fide accepit pecunias à fure emente, eáſque cum propriis commiſcuit, non tenetur eas reddere domino, ſi comparuerit: quia non eſt factus inde ditior; nam pretio iuſto rem ſuam vendidit. 3.*part.tract.*5.*Miſcel.reſ.* 40.*pag.*194.

6 Qui rem à fure bona fide emptam maiori deinde pretio vendidit, non tenetur domino reſtituere illud plus, quo factus eſt ditior: eſt enim fructus induſtriæ. *ibid.reſol.* 41.

7 Probabilius videtur eum qui bona fide comedit apud furem cibos furtiuos, teneri restituere domino id, in quo factus est ditior, parcens iis quæ domi erat expensurus. *ibid. res.* 43. *pag.* 195.

8 Si furi furandi gratia ascendenti scalam teneas, quam etsi nemo teneret, tamen ascenderet, & si asportando rem furtiuam, illum adiuues, quam sine tua ope auferret tamen, non teneris ad restitutionem: Quia non fuisti causa furti, sed tantum modi, aut circumstantiæ. *ibidem, resol.* 47. *pag.* 196.

9 Qui videt furantem, nec impedit, non tenetur ad restitutionem, nisi ex officio teneatur impedire. *ibid. res.* 54 *pag.* 199.

H

HORÆ CANONICÆ

1 BENEFICIARIVS voluntariè recitans officium sine debita attentione, non tenetur ad restitutionem fructuum: quia hæc pœna imposita est omittentibus recitationem officij. 2. *part. tract.* 12. *res.* 1. *pag.* 3.

2 Recitans horas canonicas cum voluntaria distractione, satisfacit præcepto Ecclesiæ. Idem dicendum de Missa sine attentione audita, modò non desit externa reuerentia. *ibidem, resol.* 2. *pag.* 4.

3 Qui deditâ operâ mutat officium, vt si pro officio de feriâ dicat de aliquo Sancto, non peccat mort. Quia hoc non pertinet ad substãtiam recitationis officij, sed tan

tantùm ad modum. *ibid.ref.3.*

4 Quamuis interruptio inter recitandum officium ſit notabilis,& ſine iuſta cauſa;non eſt peccatum mort. non repetere ab initio. Quia hæ circumſtantiæ non pertinent ad ſubſtantiam præcepti.*ibid.reſ.4.pag.5.*

5 Qui omittit omnes Horas canonicas vnius diei, vnum tantùm peccatum mort.committit. Quia ſeptem horæ vnum efficiunt officium integrum.*ibid.reſ.5.*

6 Canonicus, qui recitat quidem officium in choro, ſed cum aliis non canit; etiamſi ex iure antiquo, & primaria inſtitutione videatur peccati mort.reus;tamen ratione conſuetudinis excuſatur, & poteſt percipere diſtributiones quotidianas, ſaltem mediam partem,*ibid.reſ.6.pag.6.*

7 Canonici confabulantes in choro, idque notabiliter, mortaliter quidem peccant; non tamen

tenentur ad diſtributionum reſtitutionem: propter praxim Eccleſiarum, & conſuetudinem, quæ ſic obtinuit. *ibid. reſ.* 71.

8 Qui habet beneficium curatum, aut ſimplex, ſi per multos annos ſæpiùs omiſit horas canonicas, non tenetur reſtituere, niſi partem fructuum reſpondentem obligationi recitandi horas. *ibid. reſ.* 8.

9 Qui habet adeò tenue beneficium, vt non ſufficiat ad tertiam partem mediocris ſuſtentationis, ſi omittat ſæpiùs recitationem horarum; non facit contra præceptum Eccleſiæ, nec tenetur ad reſtitutionem. *ibidem, reſol.* 9. *pag.* 7.

10 Qui priuatim officium recitat, ſatis eſt, ſi vocem formet, labia mouendo, etiamſi à nemine, neque à ſe ipſo audiri poſſit. *ibid. reſol.* 11. Cùm autem duo ſimul recitant, ſufficit, ſi alter le-

ctiones

ctiones recitet, alter audiat. *res.* 12.*pag.*8.

11 Qui occupatur pulsandis organis, thuri præbendo, &c. dum horæ canuntur in choro, non tenetur recitare ea, quæ tunc à choro dicuntur. *ibid. res.* 13.

12 Qui recitant officium, etiam in choro extra horas præscriptas, si scandalum absit, non peccant mort. Nec qui recitant Matutinum sequentis diei, ante officium illius diei persolutum. Peccant tamen isti venialiter ob peruersionem ordinis. *ibid. res.* 14. 15. Item, qui ordine præpostero recitat officium, aut partem illius, non peccat mort. Quia ordo non est de substantia recitationis. *ibid. resol.* 16.

13 Moniales, & deputati ad chorum tenentur sub peccato mort. persoluere horas canonicas: ex vi consuetudinis. *ibid. res.* 17. *pag.* 8. *&* 9.

14 Monachus fugitiuus, aut eiectus è monaſterio non tenetur recitare officium: quia non eſt in ſtatu, in quo obligetur. *ibid. reſ.* 18. *pag.* 9.

15 Poteſt ſuperior ex iuſta cauſa cum ſuis religioſis diſpenſare circa recitationem officij. *ibid. reſ.* 19.

16 Clerici minores tenentur recitare pſalmos ab Epiſcopo in ordinatione iniunctos. *ibid. reſ.* 20.

17 Beneficiarius non tenetur horas canonicas perſoluere ante pacificam beneficij poſſeſſionem. *ibid. reſ.* 2[illegible]. *pag.* 10.

18 Sacerdos beneficiarius omittens horas non peccat dupliciter ratione Ordinis ſacri, & beneficij: quia vnicam violat virtutem, nempe religionem. *ibid. reſ.* 2[illegible].

19 Beneficiarius, qui hodie ſupplet heſternũ defectum in recitatione

tione officij, non liberatur ab onere restitutionis: quia ex Bulla Pij V. qui non recitat suo tempore, non facit fructus suos. *ibid.res.* 24.

20 Beneficiarius non recitans officium primis sex mensibus non tenetur iure naturali ad restitutionem. Quia non tenetur recitare ex iustitia commutatiua, sed ex religione. *ibid.res.* 25.

21 Omissio minor quàm vnius Horæ integræ non obligat ad restitutionem. Qui ex singulis aliquid omisit, non tenetur. *ibid.res.* 29. *pag.* 11.

22 Restitutio ex omissione horarum facienda est fabricæ beneficij, vel pauperibus, vel defunctis, per Missas, & suffragia. *ibid.res.* 27.

23 Quando medicus dubitat, an recitatio officij nocitura sit ægro, non tenetur recitare. Cui non licet per morbum, Matutinum cum

laudibus recitare, ad nihil tenetur. *ibid.ref.*28 29.

24 Qui Breuiario carens, tenet memoriter Psalmos, non autem lectiones Matutini, non tenetur solos Psalmos recitare. Idem dic de cæco, qui Psalmos tenet. Quia soli Psalmi non faciunt Horas. *ibid.ref.*30.

25 Probabile est Canonicum, qui abest à choro sine causa, animo amittendi distributiones, non peccare mort. modò absit contemptus, & non sit causa, cur officium diuinum in Ecclesia non dicatur. *ibid.ref.*31.*pag.*12.

26 In recitatione officij, notabilis abscissio syllabarum, vel nimia celeritas in canendo est peccatum veniale tantùm, neque obligat ad officium denuò recitandum, nisi adsit contemptus, aut scandalum, aut notabilis corruptio verborum. *ibid.ref.*32.

27 Omissio officij per octo, vel decem

decem dies in anno, non obligat ad restitutionem. *ibid. res.* 34.

28 Qui recitat cum alio habente priuilegium vtendi Breuiario breui, vel dicendi horas ante tempus, satisfacit. *ibid. res.* 35.

29 Prælatus regularis non potest quidquam mutare in Breuiario, absque licentia Papæ: potest tamen ex iusta causa dispensare semel atque iterum, vt aliud officium dicatur, quàm quod habetur in Breuiario pro illo die. *ibid. res.* 36. *pag.* 13.

30 Qui recitat officium animo non satisfaciendi pro tunc, si postea pertæsus mutet intentionem, & velit satisfacere illa recitatione, satisfacit obligationi: quia qui facit, quod lex imperat, etiam sine intentione satisfaciendi legi, verè satisfacit. *ibid. res.* 37.

31 Prælati regulares grauioribus occupationibus non impediti, tenentur adesse choro, ad exem

exemplum.*ibidem,ref.38.*

30 Ab hora quarta post meridiem licet dicere Matutinum sequentis diei.*ibid.ref.39.*

33 Clerici, & Religiosi damnati ad triremes, ad recitandas horas non obligantur. *ibid.ref.40. pag.14.*

34 Qui breuiorum Horarum dimidiam partem omittit; maiorum verò horarum vt Matut. Laud. Vesp. 4. partem, censetur peccare mort. quia est notabilis omissio.*ibid.ref.41.*

35 Qui non interest choro, vel processionibus in diebus Rogationum, non tenetur priuatim recitare Litanias.*ibid.ref.42.*

I

Ieiunium.

1 CIRCA quantitatem collationis serotinæ, quando

do ab Eccleſia inducitur ieiunium, ſtandum eſt conſuetudini, quæ viget apud viros conſcientiæ timoratæ. Licet ſumere quantitatem 6. aut 8. vnciarum. Nec tantùm quantitas, ſed etiam qualitas ciborum eſt attendenda; nam cibos ſubſtantiales ad cœnam adhiberi ſolitos, comedere in collatione eſt illicitum & peccatum: licet tamen ſumere iuſculum, modò non ſit coctum cum cibo vetito. 1.*part. tract.*9. *reſ.*1.*p.*158. 159.

2 Non tenetur peregrinus ſeruare ieiunia, & dies feſtos locorum, per quæ tranſit, modò abſit ſcandalum. *ibid. reſ.* 2. *pag.* 159. 160.

3 Manè diſcedens ex loco domicilij, vbi eſt ieiunium, peruenturus ad locum, vbi non eſt ieiunium, poteſt ſumere ientaculum in loco domicilij, non tamen veſci carnibus; quia peruenturus eſt

ad

ad locum vbi licebit cœnare. Quod puto etiam esse verum, licet eodem die sit ad domicilium suum rediturus. *ibid. res.* 3.

4 Qui vouit ieiunium in pane & aqua; si sæpiùs biberit vinum, vnum tantùm peccatum committit. *ibid. res.* 4.

5 Qui vouit ieiunium, potest vti lacticiniis extra Quadragesimam. *ibid. res.* 5. *pag.* 161. Idem dic de eo, cui indictum est à Confessario, vel Iubilæo ieiunium: nec potest consuetudo in contrarium adduci; nam illa consuetudo abstinendi à lacticiniis extra Quadrages. videtur potiùs deuotionis, & honestatis, quàm obligationis. *res.* 6.

6 Artes quæ non sunt admodum laboriosæ, non videntur excusare à ieiunio. Non desunt tamen qui existimēt, Eugenium IV. omnes artifices indiscriminatim excusare. *ibid. res.* 7. & 8. Qui autem

tem excuſantur à ieiunio, non tenentur ieiunare iis diebus, quibus non laborant. *reſ.* 9.

7 Concionatores, qui tota Quadrageſima concionantur, excuſantur à ieiunio. At qui ſolis Dominicis diebus, non item, niſi ſint debiles. Qui aſſiduàm confeſſionibus audiendis dant operam, ſi commodè ieiunare non poſſunt, excuſantur. Idem dicendum de Cantoribus, qui mercede canunt, qui etiam ouis in Quadrag. veſci poſſunt cauſa vocis conſeruandæ. *reſ.* 10. & 11. *pag.* 162. De aduocatis, procuratoribus, & lectoribus idem dicendum, quod de Concionatoribus, nempe illos excuſari ob laborem improbum, vel imbecillitatem. *reſ.* 12.

8 Non tenetur quis eos ſolos operarios vocare, qui cum moderato labore ieiunare poſſint, ſed poteſt quoſcumque nullo diſcrimine. *ibid. reſ.* 13.

9 Præ

9 Prægnantes,& lactantes excusantur à ieiunio. *ibid. res.* 14. *pag.* 163.

10 Qui dubitat, an obligetur ad ieiunium, petat à superiore dispensationem, qui facilè concedet. Si autem iudicat causam dispensationis esse minùs sufficientem, debet ieiunium in aliud opus pium commutare. *ibid. resol.* 15.

11 Non peccat dupliciter, qui duo ieiunia in eundem diem incidentia violat. Quia peccata non multiplicantur ex diuersitate præceptorum pertinentium ad eandem virtutem. *ibidem, resol.* 16.

12 Nemo absens obligatur ad ieiunia oppidi sui: quare potest quis aliò se conferre, vt ieiunium vitet. *ibid. res.* 18. & 19. *pag.* 164.

13 Sexagenarij licèt robusti & vegeti excusantur à ieiunio: quia sanitas

ſanitas ſenum fallax eſt, & incerta, ideóque indiget adminiculo cibi frequentioris. Immò nonnulli DD. illos excuſant à ieiuniis, quæ vouerunt certis diebus anni in totum vitæ tempus. *ibid. reſ.* 20. *pag.* 164. 165.

14 Vſus ſagiminis licitus eſt in Sicilia tempore Quadrag. ex conſuetudine, & authoritate DD. *ibid. reſ.* 21.

15 Qui vouit omnes ſextas ferias ieiunare, ſi dies Natalis Domini inciderit in feriam 6. non tenetur illo die ieiunare, ni expreſsè incluſerit in ſuo voto diem Chriſti natalem. *ibidem, reſol.* 22. *pag.* 166.

16 Vini potus, etiam immoderatus, non violat ieiunium, etiamſi aliquid edatur, ne potus noceat. *ibidem, reſol.* 23. *&* 24. *pag.* 166. 167.

17. Diſpenſatus in eſu carnium, cenſetur diſpenſatus ad non ieiunandum.

nandum. *ibid. ref.* 25. *pag.* 167. Difpenfatus quoad efum carnium, poteft etiam edere pifces. *ref.* 26.

18 Qui die ieiunij notabiliter anticipat horam comedendi, non peccat mort. quia determinatio horæ non eft de effentia ieiunij. Si tamen anticipetur fine caufa, peccabitur venialiter. *ibidem, ref.* 27.

19 Paterfamilias tenetur hortari filios, & feruos, vt obferuent ieiunia; non tamen cogere, nec domo eiicere. *ibid. ref.* 18. *pag.* 110.

20 Qui die ieiunij ab amico rogatus, fumit modicum cibi vrbanitatis caufa, ne venialiter quidem peccat. *ibidem, refolut.* 29.

21 Mulier prægnans ad vincendas carnis tentationes non tenetur ieiunare cum periculo prolis. *ibid. ref.* 30.

22 Licèt

22 Licet in Quadrageſ. edere quod vulgo dicitur *Biſcoctum*, etiamſi pauxillum oui contineat; propter paruitatem materiæ. *ibid. reſ.* 31.*pag.*169.

23 Qui ieiunans ſurgit à menſa propter occurrens aliquod negotium, breui temporis ſpatio interiecto, poteſt menſam repetere ad continuandam refectionem. *ibid. reſ.*32.

24 Licet rationabilem ob cauſam manè collationem ſumere, & veſperi cœnare; alioquin eſt peccatum veniale. *ibidem, reſol.* 33.

25 Collatio ſerotina in vigilia Natiuitatis ſumi poteſt largiuſculè, ratione conſuetudinis. *ibid. reſ.* 35.*pag* 170.

26 Ieiunium ab Epiſcopo indictum, Religioſos non obligat. Ieiunia tamen generali conſuetudine recepta, illos etiam obligant. *ibid. reſ.*36.

27 Qui comedit carnes eo die quo vouit ieiunium, peccat tantùm in prima comestione; nam violato semel ieiunio cessat obligatio abstinendi à carnibus. *ibid. res.37.pag.*170.171.

28 Qui vrbanitatis causa inuitat ad cœnam in die ieiunij, eum qui paratus est cœnare, non peccat. Quia non inuitat illum absolutè ad cœnam (cùm per se iam sit paratus) sed ad cœnandum domi suæ. Quare qui in die ieiunij carnes vendunt, non peccant. Neque item caupones, qui omnibus petentibus apponunt cœnam indifferenter. Quia alioquin alienarent hospites, & nisi illis ministraretur cœna, essent alibi cœnaturi. *ibidem, resol.* 38. *&* 39.

29 Defessus ex ludo pilæ, vel alia recreatione, non tenetur ieiunare: tenetur tamen abstinere à ludo, si non potest simul ieiunare.

re. Qui verò ſuſcipiunt peregrinationes ad loca ſacra, excuſantur à ieiunio; neque tenentur differre peregrinationem in aliud tempus. *ibidem*, *reſol.* 40. *pag.* 172. *&* *reſ.* 46. *pag.* 173. *&* 174.

30 Lacticinia de iure communi, tantùm in Quadrageſ. prohibentur. *ibidem*, *reſol.* 41. *pag.* 172.

31 Licet miniſtrare carnes pueris ante ſeptennium expletum, in diebus ieiunij; quia nullis legib. obſtringuntur. Item Paganis, qui nulla lege eccleſiaſtica obligantur. Necnon perpetuo amentibus. *ibidem*, *reſol.* 42. *pag.* 172. 173.

32 In die ieiunij, paruitas materiæ eſum carnium non excuſat. *ibid. reſ.* 43.

33 Quoties quis in die ieiunij carnes comedit, toties peccat mort. Quia Eccleſia in die ieiu-

nij carnes abſolutè interdicit.*ibid. reſ.*45.

34 Qui niſi cœnatus dormire nequit, non tenetur ieiunare.*ibid. reſ.*31.*pag.*174.

35 Qui in die ieiunij ter, aut quater comedit, tantum peccat, quando ſecunda vice comedit. Quia præceptum ieiunandi eſt indiuiduum ex obiecto. *ibid. reſ.*53. *pag.*175.

36 Die veneris delectari de eſu carnis mente concepto, non eſt peccatum mort. quia præceptum poſitiuum humanum per ſe non prohibet actus internos. 3. *part. tract.* 5. *Miſcell. reſolut.* 5. *pagina* 179 Hæc ppositiō damn: ab Innoc:

37 Comedere, aut bibere abſque neceſſitate ob ſolam voluptatem, modò ne obſit valetudini, non eſt peccatum; quia licitè poteſt appetitus naturalis frui ſuis actibus. *ibid. reſ.*6.*pag.*180.

38 Si quis teneatur ieiunare in

paue,

pane, & aqua, & non poſſit niſi ſumendo aliquid cibi, aut obſonij, non propterea ieiunium ſoluit: excuſabitur autem ab illo ieiunio, ſi vino, aut obſonio carere non poſſit in ea quantitate, quæ ſuperet materiæ paruitatem; quia non eſſet ieiunium in pane, & aqua, ad quod obligatur. *ibid. reſ.* 61. *pag.* 101.

39 Poteſt peregrinus vti indulgentia ſui territorij, ſi in loco vbi moratur, ſeruatur ius commune quoad ieiunium: licèt enim hoc priuilegiũ videatur locale, tamen qui breui tempore abſunt, in iure habentur pro præſentibus. *ibid. reſ.* 120 *pag.* 225.

Immunitas Eccleſiarum.

1 CONſtitutio Greg. XIV. de immunitate Eccleſ. non tantùm derogat priuilegiis Principum, ſed etiam iuri communi,

& consuetudinibus. Quia Pontifex illam promulgauit per modum legis vniuersalis. 1. *part. tract.* 1. *res.* 1. *pag.* 1.

2 Qui commisit atrocia crimina (excepto homicidio, & mutilatione membrorum) in Ecclesiis, seu cœmeteriis, gaudent immunitate Ecclesiarum. Quia Bulla Greg. XIV. excipit tantum homicidium, & mutilationem. *ibid. res.* 2. *pag.* 2.

3 Qui deliquit iuxta Ecclesiam, sub spe confugiendi ad eam, gaudet ipsius Ecclesiæ immunitate. *ibidem, res.* 3.

4 Qui proditoriè voluit alium occidere, sed casu non occidit, gaudet hac immunitate, etiamsi percusserit. Quia Bulla excipit occidentem actu, non autem volentem occidere. *ibidem, resol.* 4.

5 Qui occidit inimicum non proditoriè, sed ex insidiis, gaudet immu-

immunitate. Quia Bulla excipit solùm homicidium proditorium, id est, quod factum est per simulationem amicitiæ; in odiosis autem verba strictè sunt interpretanda. *ibid. res.* 5. *pag.* 3.

6 Committens crimen læsæ maiestatis in Principem non supremum, gaudet immunitate: quia Bulla excludit offendentes personam Principis supremi. *ibid. resol.* 6.

7 Rebellis, vel qui offendit statuas, vel imagines Principis, gaudet immunitate: quia licet committat crimen læsæ maiestatis; non tamen personam Principis offendit. Porrò si is, qui personam Principis offendit, non est ei subditus nec origine, nec domicilio, hanc immunitatem non amittit; quia non censetur committere crimen læsæ maiestatis. *ibid. res.* 7.

8 Iudex laicus non poteſt in Ec-

clesia auferre reo arma prohibita, absque licentia Episcopi : Quia Iudex sæcularis prohibetur aliquam iurisdictionem in Ecclesia exercere, *ibid. resol. 8. pag. 4.*

8 Si quis existens in Ecclesia, vel monasterio, per fenestram occidat sclopeto alium existentem extra Ecclesiam, gaudet immunitate; à qua excluduntur tantùm occidentes in Ecclesia. At contrà, qui existens extra Ecclesiam, occidit existentem in Eccles. immunitatem amittit. *ibid. res. 9.*

9 Non autem is qui existens in Ecclesia mandat homicidiū extra illam committi; nec qui existens extra, mandat intra homicidium committi: Quia qui mandat occisionem, non dicitur propriè occidere; at in pœnalibus, & odiosis verba Bullæ non sunt extendenda. *ibid. res. 10.*

10 Qui in Ecclesia committit homicidium, vel membrum mutilat,

lat, non deliberatè, sed ex calore iracundiæ, videtur ex verbis Bullæ immunitatem amittere; non autem qui vulnerat tantùm absque mutilatione, etiam cum sanguinis effusione. *ibidem, ref.* 11. *pag.* 5.

11 Reus ad Ecclesiam confugiens, non potest à iudicibus Ecclesiasticis, vel laicis, exilio, aut perpetuo carcere mulctari, nec ad triremes damnari: quia hæ pœnæ sunt grauiores. Licèt autem hic impunitus dimittendus non sit; tamen non est iudicis laici, sed Ecclesiastici pœnam decernere. *ibid. ref.* 12.

12 Non potest iudex laicus extrahere ab Ecclesia reum, quem scit immunitate non gaudere, absque licentia Episcopi, quin incurrat excommunicationem: debet enim priùs Episcopus cognoscere, an hoc sit verum, deinde consignare reum curiæ sæculari. *ibid.*

*ibid.ref.*14. Immò si iudex laicus solùm attentet extrahere, etiamsi reipsa non extrahat, incurrit excommunicationem.*res.*15.*p.*6.

13 Reus ab Ecclesia per satellites vel alios extractus etiam nescio iudice, est ab ipso iudice, Ecclesiæ restituendus, alioquin incurrit excommunicationem. *ibid. ref.*16.

14 Qui confugiens ad Ecclesiam, secum gestat sclopetum, aut alia arma prohibita, non amittit immunitatem: quia eiusmodi delictum non est exceptum in Bulla. *ibid. resolut.*17.

15 Qui effracto carcere fugit ad Ecclesiam, gaudet immunitate. An verò falsus testis, ob cuius depositionem quis morti addictus est, gaudeat immunitate, debet Episcopus consulere Summum Pontificem. Si tamen hic testis fuit pecunia corruptus, videtur tanquam assassinus amitte-

re immunitatem: is enim dicitur assassinus qui alterius iussu accepto pretio hominem occidit: Bulla autem excipit assassinos. *ibid. res.* 18. & 19. *pag.* 7.

16 Qui occidit Regium ministrum, putà Gubernatorem, Præsidem, &c. gaudet immunitate: quia non offendit personam Principis. *ibid. res.* 20. Item, qui violauit Ecclesiam frangendo fores, comburendo, &c. Quippe Bulla excipit tantùm violantes Ecclesiam per homicidium, aut mutilationem. *res.* 21.

17 Saracenus, seu quilibet infidelis non excluditur ab hac immunitate, quam Summ. Pontif. non concessit intuitu personarum, sed loci sacri. *ibid res.* 22. *pag.* 7. 8. Item Apostata à Religione, non quidem in Ecclesiis, & Monasteriis eiusdem religionis, sed in aliis, gaudet immunitate. *res.* 23.

18. Cle

18 Clerici, & Religiosi confugientes ad Ecclesiam pro criminibus non exceptis in Bulla, non possunt ab Iudicibus Ecclesiasticis, & eorum Superioribus extrahi, absque licentia Summi Pontificis, sub pœna excommunicationis; violatur enim immunitas Ecclesiarum. Excipiendi tamen sunt ij Religiosi, qui in propriis monasteriis delinquunt; possunt enim à Superioribus puniri salua immunitate, ídque ex recepta consuetudine à Summis Pontificibus approbata, alioqui disciplina regularis corrueret. *ibid. res.* 24. 25. *pag.* 8. 9.

19 Reus qui egressus est ab Ecclesia, blanditiis, & fallacibus verbis inductus, non amisit immunitatem. *ibid. res.* 26.

20 Palatium Episcopi, etiam ab Ecclesia longè distans, gaudet eadem immunitate, qua gaudet Ecclesia, & tutum reis perfugium præbet.

præbet. Idem dicendum de palatiis Cardinalium extra vrbem Rom. *ibid. reſ.* 27. *pag.* 10. *& reſ.* 37. *pag.* 13.

21 Reus confugiens ad cubiculum ægroti, in quo eſt corpus Chriſti; immò qui fugiens ſe immiſcet illis, qui SS. Euchariſtiæ Sacramentum per plateas proſequuntur, etiamſi non tangat Sacerdotem, gaudet immunitate; illi enim omnes vnà cum Sacerdote geſtante SS. Sacramentum, vnam Eccleſiam repræſentant. *ibid. reſ.* 28.

22 Hæreticus in criminibus non exceptis à Bulla, gaudet eadem immunitate, qua cæteri. *ibid. reſ.* 29.

23 Capite damnatus, qui per Eccleſiam ducitur ad ſupplicium, in rigore iuris plecti poteſt: tamen piè crediderim, illum etiam gaudere immunitate. *ibid. reſ.* 30. *pag.* 11.

24 Mercator qui per fraudem decoxit, non priuatur immunitate: hic enim casus non excipitur in Bulla. De quibuslibet debitoribus idem dicendum. *ibid. resol.* 32. *pag.* 12.

25 Occidens Clericum, non amittit immunitatem: quia excipiuntur tantùm homicidia proditoria, & per assassinum admissa. Neque dixeris interfectorem Clerici sacrilegium committere; nam in Bulla sacrilegium non inuenitur exceptum. *ibidem, resol.* 34.

26 Qui occidit amicum reconciliatum, gaudet immunitate: quia non censetur homicidium proditorium; amicus enim reconciliatus habetur pro inimico. *ibid. res.* 35. *pag.* 13.

27 Qui veneno alium occidit, ex omnium ferè DD. sententia non gaudet immunitate; quia proditoriè occidit. Nonnulli tamen

men

men putant summum Pontif. esse ab Episcopo consulendum. *ibid. res.* 36.

28 Suspectus de hæresi (in locis vbi hæretici non tolerantur) si ad Ecclesiam confugiat, potest à ministris Inquisitionis ab ea extrahi; propter fidei orthodoxæ conseruationem. *ibid. resol.* 38.

29 Damnatus ad triremes, si ad Ecclesiam confugiat, gaudet eius immunitate. Quia hæc est Ecclesiæ immunitas, vt ad se confugientem liberet à pœna, seu imponenda, seu iam imposita. *ibid. res.* 40. *pag.* 14.

30 Contrauenientes huic Constitutioni Greg. XIV. ex multorum DD. sententia, possunt ab Episcopo absolui. *ibid. resol.* 41.

31 Qui effracto carcere ad Ecclesiam confugiunt, gaudent immunitate. 3. *part. tract.* 1. *res.* 37. *pag.* 12. Item, qui in atrio, vel sca-

lis Ecclesiæ hominem occidit, non amittit immunitatem, si post delictum, ad Ecclesiam confugiat. *ibid.res.*39. Neque epistolis Clem. VIII. contra debitores fugitiuos, fures, &c. quidquam derogatur Cõstitutioni Greg. XIV. prohibuit enim tantùm Pontifex, ne Episcopi dictos facinorosos diu in eorum Ecclesiis detinerent. Deinde illæ epistolæ missæ fuerunt ad Archiepiscopos Bononiensem, & Neapolitanum: ergo solum ibi obligant. *ibid. res.* 40.

32 Domus ecclesiasticorum circa Ecclesiam ad 30. passus, quamuis habitentur à laicis, gaudent immunitate. *ibidem, resol.*71. *pag.* 20.

Immunitas Ecclesiastica.

1 PRiuilegium, quo clerici eximuntur à legibus, & iurisdictione Principum sæcularium,

rium, fuit à Iure diuino immediatè concessum, & à iure Canonico postea stabilitum, cui etiam accessit ius ciuile, primusque omnium Constantinus hoc priuilegium acceptauit. 1.*part. tract.*2. *res.*1.*pag.*15. Neque possunt Principes hoc priuilegium reuocare. Immò nec Summ. Pontif. potest huic renuntiare: quia ipse non est dominus absolutus bonorum & iurium Ecclesiæ, sed solùm dispensator. *res.* 2. *pag.* 16. Multò minus Clerici id possunt; quia nullus potest cedere priuilegio toti communitati concesso. *resol.*3.

2 Nulla consuetudo, quamuis immemorabilis, potest huic priuilegio derogare. Quia contra Ecclesiasticam libertatem nulla est præscriptio. Deinde talis consuetudo singulis annis per Bullam Cœnæ reprobatur: Quapropter tolerantia, aut consensus Papæ,

non poteſt allegari in defenſionem conſuetudinis, reclamante Bulla. *ibid. reſ. 4. & 5. pag. 16. 17.* Sunt tamen quædam priuilegia Galliæ, & Hiſpaniæ Regibus à Pontiff. conceſſa, per quæ videtur Eccleſiaſticæ libertati derogatum. *reſ. 6. pag. 17. 18.*

3 Clerici neque diuino, neque humano iure ſunt exempti à legibus ciuilibus, quæ cum libertate Eccleſiaſtica non pugnant; ideoque ſi Clerici vendunt frumentum vltra pretium taxatum, peccant mort. & tenentur ad reſtit. Illis autem legibus obſtringuntur clerici, non directè, ſed ex ratione naturali, quæ dictat ſeruandas eſſe leges ſæculares propter conformitatem cum perſonis ſæcularibus eiuſdem Reip. Non poteſt tamen Iudex laicus illos punire ob tranſgreſſionem illarum legum, defectu Iuriſdictionis. *ibid. reſ. 7. pag. 18. 19.*

4 Sæcularis magistratus non potest cogere clericos, vt triticum vendant, nisi vrgeat fames, aut alia necessitas; tunc enim potest Iudex laicus frumentum ex horreis clericorum depromere, & vendere, non vi iurisdictionis, sed propter imminens periculum *ibid. res.* 8.

5 Non potest minister sæcularis iurisdictionis spoliare clericum armis prohibitis; sed tantùm potest illum ducere ad Iudicem Ecclesiasticum, ad quem pertinet illa cognitio. *ibid. res.* 9 *pag.* 9. 20. Potest enim iudex laicus per suos ministros comprehendere clericum cum armis prohibitis, præsertim noctu grassantem, mutato habitu, vt illum tradat Iudici ecclesiastico: nam pertinet ad magistratum Reipubl. tranquillitati consulere. *res.* 10. 11 *pag.* 20.

6 Non decet Regios ministros detinere in Cancellariis Bullas

Apoſtolicas examinandas. Sunt quidem recognoſcendæ, & diſcutiendæ, cùm dubitatur de earum ſubreptione, aut falſitate; ſed ab Eccleſiaſticis iudicibus. *ibid. reſ.* 12. *pag.* 21.

7 Clericus, qui patitur violentiam, poteſt recurrere ad iudicem laicum, quando ad talem vim reprimendam, iudex Eccleſiaſticus non adeſt, aut ſi adeſt, non vult reprimere. Alioqui non licet iudici ſæculari cauſam Eccleſiaſticam ad ſe euocare, & vim Clerico illatam propulſare. *ibid. reſ.* 13. *pag.* 21. 22. Quod autem Iuriſconſulti citant contra libertatem Eccleſ. *cap. filiis, vel nepotibus.* 17. *quæſt.* 7. Reſpondendum hoc ius fuiſſe ſublatum, & abrogatum ab Innocent. III. *reſ.* 14.

8 Iudex laicus inueniens Clericos exportantes pecuniam, aut frumentum è Regno contra leges, non poteſt ea illis auferre; quia

quia non habet potestatem coërcitiuam in Clericos: tenentur tamen Clerici statuta Principum obseruare, quæ ad bonum commune referuntur. *ibidem, res.* 15. *pag.* 23.

9 Legatus natus non potest in regulares exemptos iurisdictionem exercere. *ibid. res.* 16.

10 Episcopi, & Ecclesiastici non possunt à Principe, aut eius Consiliariis, regno pelli, tanquam seditiosi, & perturbantes pacem, ac Rempubl. nisi de licentia Summi Pontif. aut nisi tanta vrgeat necessitas, vt sit euidens periculum in mora. *ibid. res.* 17. *pag.* 23. 24.

11 Principes sæculares, aut eorum ministri punire non possunt Clericum læsæ maiestatis reum, nec delinquentem in officio sibi à Principe concesso: quia Clerici sunt exempti à iurisdictione sæculari quoad personas, & bona.

 ibid.

ibidem, resolut. 18. & 19.*pag.*24. 25.

12 Clericus non poteſt compelli ad comparendum coram Iudice laico, tanquam creditor, aut legatarius in confectione inuentarij.*ibid. reſ.*20.

13 Clericus depoſitarius non poteſt per Iudices laicos compelli ad reſtitutionem depoſiti, vel ſequeſtri. *ibidem, reſ.* 21. *pag.*25. 26.

14 Debitor petens admitti ad beneficium ceſſionis bonorum, non poteſt trahere Clericum creditorem ſuũm ad forum ſæculare, ſed debet adire Epiſcopum.*ibid.reſ.* 21.*pag.*26.

15 Clericus hæres laici non tenetur coram Iudice ſæculari proſequi litem iam inchoatam contra eum cui ſucceſſit; ſed denuo eſt conueniendus ſuper eadem re coram Iudice Eccleſiaſtico. *ibid. reſ.*24.*pag.*27.

16 Clericus qui ſine habitu, & tonſura perpetrat grauiſſima flagitia, non poteſt ante trinam monitionem à Iudice ſæculari puniri. *ibid. reſol.* 13. *pag.* 26. Qui verò aliquando dimittit habitum, & tonſuram, non ideo amittit priuilegium fori, nec à Iudice laïco eſt puniendus. *reſ.* 33. *pag.* 30. Porrò qui incedit cum habitu, & tõſura, ſi deſeruiat alicui Eccleſiæ, aut in ſeminario, vel aliqua vniuerſitate de licentia Epiſcopi verſetur, gaudet priuilegio fori. *reſ.* 34.

17 Iudex laicus non poteſt procedere nec criminaliter, nec ciuiliter contra eum, qui poſt admiſſum crimen factus eſt clericus, & aſſumpſit habitum ea intentione, vt ſe ſubduceret iuriſdictioni ſæculari. Quia ſi confugiens ad Eccleſiam poſt delictum, animo euadendi iudicium ſæculare, gaudet immunitate; mul-

tò magis qui ſe Deo conſecrat. *ibid.reſ.26.pag.27.*

18 Non eſt Iudicis laici cognoſcere de clericatu, vel habitu. Si tamen clericus in habitu ſæculari captus eſt à Iudice laico, poteſt ab illo detineri, donec Iudex Eccleſiaſticus ferat declarationem; pendente verò tali cognitione, debet Iudex ſæcularis ſuperſedere; vbi autem compererit illum eſſe clericum, debet illum ſtatim remittere ad Iudicem eccleſiaſticum. *ibidem, reſolut. 27. pag. 28.*

19 Nullus in minoribus ordinibus conſtitutus gaudet iure fori, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum & tonſuram geſtans alicui eccleſiæ ex mandato Epiſcopi deſeruiat, aut in ſeminario vel vniuerſitate verſetur quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos. ita Concil. Trid. *ſeſſ.23. c. 6. Ibid.reſ.* 28. Vt autem

autem quis dicatur habere beneficium, ſufficit, vt habeat titulum, & collationem illius, licèt nondum habeat poſſeſſionem. *reſ.19. pag.28.29.*

20 Clericus qui habet penſionem ſuper aliquo beneficio, loco tituli, gaudet, tanquam beneficiatus, priuilegio fori. *ibid.reſ.30.p. 29.*

21 Capellanus, cui capella in perpetuum, vel in titulum fuerit aſſignata, gaudet priuilegio fori; ſecus autem ſi habeat capellam amouibilem; hæc enim non dicitur propriè beneficium. *ibid. reſ.31.*

22 Omnes clerici etiam primæ tonſuræ gaudent exemptione gabellarum, iure communi: licèt in quibuſdam regnis clerici minorum Ordinum non eximantur, niſi actu habeant beneficium. Neque neceſſe eſt clericum, vt cenſeatur exemptus à gabellis, habere

bere ea omnia, quæ requirit Conc. Trid. loquitur enim Concil. de priuilegio fori tantùm, non autem de priuilegiis, quæ competunt clericis de iure communi. *ibid. ref.* 35. *&* 36. *pag.* 30. 31.

23 Item Nouitij Religionum sunt exempti à gabellis. Quia sunt pars communitatis ecclesiasticæ, ac proinde censentur personæ ecclesiasticæ, & gaudent priuilegio fori, & exemptione gabellarum. *ibidem, resol.* 37. *pag.* 31. 32.

24 Non possunt imponi gabellæ super bona Ecclesiasticorum, nisi publica necessitate id exigente, quando agitur de vtilitate communi cùm Ecclesiasticorum, tum laicorum; & tunc requiritur deliberatio, & consensus vtrorumque. Quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Si verò in tali casu clerus nollet consentire, possent laici implo-

rare

rare auxilium superioris Ecclesiastici, vt compellat clericos: nam à superiore laico compelli non possunt, quia eo ipso, quòd persona clerici est exempta à iurisdictione sæculari, exempta sunt etiam eius bona, siue patrimonialia, siue donata, siue empta, siue alio titulo quæsita. *ibid. resol.* 38.39.40. 41.42. *pag.* 32.33. 34.

25 Non licet Magistratui augere pretium carnis, olei, vini, &c. in grauamen Clericorum: sic enim soluerent gabellas indirectè, quod per Bullam Cœnæ non licet, nisi accedat consensus Cleri. *ibidem*, *resol.* 45. *pag.* 34. 35.

26 Clerici negotiatores amittunt priuilegium exemptionis, & potest ab illis exigi gabella, non tamen ante trinam monitionem. *ibid. res.* 46. *pag.* 35.

27 Principes imponentes gabellas

las licet iuſtas ſuper bona Eccleſiaſticorum, incurrunt in cenſuram Bullæ Cœnæ. Quia excommunicatio fertur in eos, qui imponunt gabellas, niſi in caſibus à iure permiſſis; at ius non permittit imponi gabellas ſuper bona Clericorum, ergo. *ibidem, reſol.* 47.

28 Princeps non poteſt imponere gabellam, & exigere ab Equitibus D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ: Quia hi equites ſunt verè religioſi, neque coniugium obſtat, quia caſtitas coniugalis eſt etiam materia voti: ad hæc ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ. *ibid. reſ.* 49. *pag.* 37.

29 Clericus coniugatus ſi contraxit cum virgine, & tonſuram, & habitum clericalem geſtat, & alicui Eccleſiæ deſeruit, gaudet priuilegio fori, etiam in ciuilibus, neque ſubeſt iuriſdictioni ſæculari. *ibid. reſ.* 50.

30 Clericus assassinus, seu sodomita, notorius; non subest iurisdictioni sæculari, nisi post sententiam criminis declaratoriam, à Iudice Ecclesiastico latam, per quam tradatur brachio sæculari. *ibid.res.*51.*pag.*18.

31 Iudex sæcularis secretò informationem faciens contra Ecclesiasticum in causa criminali, etiam cùm intentione illam postea præsentandi Prælato, violat immunitatem Ecclesiasticam: nam se immiscet causis Ecclesiasticorum criminalibus, quod sufficit ad incurrendam excommunicationem. *ibid.res.*52.

32 Principes prohibentes laicis, ne vendant Ecclesiasticis, ne molant, coquant panem, &c. incurrunt in excommunicationem: hoc enim derogat Ecclesiasticæ libertati. *ibid.res.* 53.*pag.* 38. 39.

33 Literæ Principum hortatoriæ

toriæ ad ſumm. Pontif. aut Epiſcopos, non violant eccleſiaſticam libertatem. *ibidem, reſol.* 54. *pag.* 39.

34 Iudex laicus cùm agitur de poſſeſſorio matrimonij, non eſt competens: quia hîc eſt aliquid ſpirituale admixtum. *ibidem, reſ.* 55.

35 Statutum quo mulier, eiúſque liberi priuantur hæreditate, ſi illa extra territorium nubat, eſt contra immunitatem Eccleſ. quia matrimonia libera eſſe debent ab omni coactione. *ibidem, reſ.* 56.

36 Statutum ne immobilia alienentur in extraneos, & Eccleſiaſticos, aduerſatur Eccleſiaſticæ libertati: nullo enim iure, nec naturali, nec diuino id prohibetur, immò nec humano. Secùs autem ſi in ſtatuto Eccleſiaſtici non exprimuntur, quamquam Epiſcopi cogere poſſunt ita ſtatuentes, vt declarent

clarent Ecclesiasticos illo statuto non comprehendi. *ibid. res.* 57. *pag.* 39. 40.

37 Statutum Principis, quo excludit seu excipit aliquos (inter quos nominat quendam Ecclesiasticum) à priuilegio quo ciuitas fruitur, officit Ecclesiasticæ immunitati: quia tollit illi priuilegium, quo fruuntur Clerici iure communi, quandoquidem est toti communitati concessum. Tamen Princeps nullam faceret iniuriam Ecclesiasticis, si tale priuilegium in posterum, omnibus in vniuersum denegaret. *ibid. res.* 58. *pag.* 40. 41. Item si Princeps statuat, ne suis priuilegiis fruantur ij qui subditi non sunt, facit contra libertatem Ecclesiasticam: quia de iure communi Clerici frui possunt beneficio priuilegiorum alicui communitati concessorum. *res.* 59. *pag.* 41. Priuilegium à Principe, vel Rep. Clericis semel concessum, non

Q potest

poteſt amplius reuocari; & ſtatutum abrogans eiuſmodi priuilegium, violat Eccleſiaſticam immunitatem.*reſ.60.*

38 Princeps, vel Reſpubl. ſtatuens, ne in ſuo dominio, Eccleſiæ vel Monaſteria conſtruantur ſine ſua licentia, derogant immunitati Eccleſiaſticæ, & edicto Conſtantini Imper. quo conceſſit facultatem ædificandi Eccleſias per totum orbem.*ibid.reſ.61.pag.42.*

39 Statutum quo Princeps cauet, ne quis ſine ſua facultate adeat poſſeſſionem alicuius beneficij, eſt contra libertatem Eccleſ. niſi Princeps ex priuilegio Rom. Pontif. habeat collationem beneficiorum, vel priuilegium, vt in ſua ditione nullus externus beneficium obtineat. *ibid.reſ.62. p.42.* 43.

40 Bona Eccleſiæ, à Principe, aut Republ. alienari non poſſunt. *ibid.reſol.62.pag.43.*

41 Princeps, aut Magiſtratus non poteſt diſponere de iis quæ ad funera, & exequias pertinent, in iis quæ ſpectant ad Clerum, vel cultum diuinum; poteſt tamen prohibere abuſum, & luxum circa pompam funeris. *ibid. reſ.* 64.

42 In dubio an aliquod ſtatutum officiat Eccleſ. immunitati, tenenda eſt opinio quæ fauet Eccleſiæ. *ibid. reſ.* 65.

43 Non eſt iudicis laici cognoſcere cauſam in qua agitur, vt quis v. g. recuperet beneficium à quo eſt per vim eiectus : hoc enim eſt Eccleſiaſtici iuris. *ibidem, reſ.* 66. *pag.* 43. 44.

44 Ad Principem & Magiſtratum laicum non pertinet diſcutere poteſtatem Nuntij à Pontifice miſſi. *ibid. reſ.* 67.

45 Statutum prohibens ne vinum aut frumenta extra territorium exportentur, Clericos non comprehendit, quibus licet ex-

portare fructus ex suis prædiis collectos. *ibid.ref.68*. Neque item statutum prohibens vinum, aut frumenta extra territorium collecta in ciuitatem importari: hoc enim spectat ad priuatum commodum tantùm.*ref.69*.

46 Ecclesiastici hæredes instituti, non conficientes inuentarium, non tenentur vltra vires hæreditatis omnibus creditoribus in solidum. Quia talis lex non comprehendit Clericos defectu iurisdictionis.*ibid.ref.70*.

47 Clericus vendens vinum, frumentum, &c.vltra pretium taxatum, non obligatur ad pœnam iniunctam. Quia neque Princeps, neque Magistratus habent in Clericos ius coërcitiuum. *ibid.ref.71. pag.45*.

48 Princeps non potest per statutum irritare aliqua iuramenta, quæ in certis contractibus apponuntur: quia est res merè spiritualis.

tualis.*ibidem, resol.73.*

49 Statutum Principis, aut Magistratus, quo cauetur, ne filij possint contrahere sine consensu patris, alioquin cadant hæreditate, non est validum: quia disponit de spiritualibus, atque adeo repugnat Eccles. libertati: Laici enim nihil possunt statuere, quod matrimonij liberum consensum impediat.*ibid.res.74.pag.46.*

50 Si omnes ciues contribuant ad sternendam lapidibus viam, quæ est ante ianuam ipsorum, Ecclesiastici qui ibi habent domum, tenentur quidem contribuere; si tamen nolint, non possunt à sæculari Iudice cogi; sed per Iudicem Ecclesiasticum id fieri debet. Idem dicendum de cæteris contributionibus in publicum commodum fieri solitis. *ibid.res. 75.pag.46.47.*

51 Clericus falsa mensura triticum, vel oleum vendens, non po-

test puniri à Iudice fæculari. *resol.* 76.

52 Cognitio vſuræ, quando quæſtio eſt facti, tam pertinet ad laicum, quàm ad Eccleſiaſticum Iudicem: quando verò eſt quæſtio iuris, propriè pertinet ad Eccleſiaſticum. *reſ.* 77.

53 Clericus coniugatus qui habitum & tonſuram depoſuerat, ſi illa reaſſumat, gaudet priuilegio fori. *reſ.* 70. *pag.* 48.

54 Iudex laicus non poteſt procedere contra pecora clericorum, quæ in alienis paſcuis inuenta fuerunt; quia non poteſt ferri ſententia à Iudice in pecora, cùm non ſint capacia, neque in perſonas, quæ non ſubſunt iuriſdictioni ſæculari. *reſ.* 80.

55 Sacrilegium eſt mixti fori, támque pertinet ad Eccleſiaſticum, quàm ad ſæculare tribunal. *reſ.* 81.

56 Epiſcopus non poteſt viſitare

re hospitale, si fundator in funre hospitale, si fundator in fundatione Episcopum exclusit à visitatione, etiamsi Episcopus non consensisset. Ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio. *resol.* 83.*pag.*49.

57 Tertiarij S.Francisci, si collegialiter viuunt, & Tertiariæ, si virginitatem expressè vouerunt, etiamsi habitent in propriis domibus, gaudent priuilegio fori. Ex declaratione Congregationis Cardinal. *res.*84 *pag.*50.51.

58 Potest Ecclesiasticus Iudex cognoscere inter laicos de alimentis filio spurio debitis: nam illa causa est mixti fori. Potest igitur spurius petere alimenta coram Iudice Ecclesiastico, si velit. In præbendis autem alimentis habenda est ratio diuitiarum & qualitatis patris. *resol.*85.*pag.*51.

59 De adulterio ad pœnam sanguinis imponendam, solus iudex

fæcularis eft competens; quoad alias verò pœnas eft mixti fori. In caufa verò diuortij, folus Ecclefiafticus Iudex eft competens ad cognofcendum de adulterio. Immò fi de fola feparatione ob lepram, vel aliud impedimentum, agatur, folus Eccle. Iudex eft competens. *ref.* 86.

60 Eccle. Iudex poteft punire laicos concubinarios, poft primam quidem admonitionem, pœna pecuniaria, pœna verò excommunicationis poft trinam admonitionem. Notandum tamen concubinatum effe crimen mixti fori. *ref.* 87. *pag.* 51. 52.

61 Eccle. Iudex in criminibus mixti fori, poteft laicos fine auxilio brachij fæcularis, in carcerem Ecclefiafticum detrudere. *ref.* 88.

62 Quæftio Iuris circa decimas, ad folum Iudicem Eccle. pertinet: in quæftione autem fa-

ĉti,

cti, Iudex laicus competens erit; est enim mixti fori: At cognitio decimarum, quæ sæcularibus in feudum dantur, ad Iudicem Ecclesiasticum pertinet. *res.* 89. & 90. Si verò clerici petant decimas à laicis, qui consuetudine immemorabili eas numquam persoluerint; huius causæ cognitio pertinet ad Iudicem Eccles. *res.* 91.

63 Iudex laicus non potest simul cum Iudice Eccles. cognoscere de decimis titulo compromissi. *res.* 92.

64 Laicus conductor decimarum coram solo Iudice Eccles. est conueniendus. *res.* 93. *pag.* 53.

65 Dandus est tutor, seu curator clerico minori, vel mente capto, à Iudice Ecclesiastico. Pertinet tamen ad Iudicem laicum facere inuentarium bonorum clerici mortui, qui filios minores reliquit. *res.* 94.

66 An Concordata sint per Bullam Cœnæ reuocata, in vtramque partem à DD. disceptatur. *ref.*95.

67 Familia Episcopi licet laica gaudet priuilegio fori, neque potest Iudex laicus in illam inquirere. Idem dicendum de officialibus Episcopi.*ref.*97.

68 Transacto anno à iure, executoribus testamenti concesso, Episcopus fit executor vltimæ voluntatis defuncti, etiam quoad legata profana.*ref.*98.*pag.*54.

69 Quando clericus clericum instituit hæredem, vel laicus condidit testamentum ad pias causas, publicatio testamenti pertinet etiam ad Iudicem Eccles. *resol.* 99.

70 Confraternitates, & hospitalia, quæ sunt sub protectione Regum, ex communi DD. sententia, non sunt ab Episcopis visitanda.*ref.*100.

71 Appellationes quæ dicuntur tuitiuæ, non ſunt à Iudicibus laicis in cauſis Eccleſ. concedendæ: offendunt enim Eccleſ. libertatem: poteſt autem clericus, vel laicus oppreſſus recurrere in eiuſmodi cauſis ad Iudicem Eccleſ. qui ſolus eſt competens. *reſ.*102. *pag.*54.55.

72 Lex prohibens ne bona vulgo dicta de *Realengo*, ſine licentia Regis ad Eccleſias transferantur, eſt contra Eccleſ. immunitatem. *reſ.*103.*pag.*55.

73 Quibuſdam Iuſtiniani Imper. Conſtitutionibus circa perſonas & cauſas Eccleſ. communi iure derogatum eſt, vtpote iniquis. *reſ.*105.

74 Clericus in ciuilibus poteſt ſe Iudicis laici arbitrio ſubiicere; non tamen ab illo cogi, vt ſtet illius ſententiæ.*reſ.*106.

75 In cauſis mixti fori, ſemel accuſatus apud tribunal Eccleſia-

ſticum,

ſticum, non poteſt iterum accuſari apud ſæculare. *reſol.* 107. *pag.* 56.

75 Eccleſ. Iudex non tenetur in cauſis mixti fori oſtendere proceſſum Iudici laico, cuius brachium implorat: nam ad laicum Iudicem pertinet nuda executio. *reſ.* 108.

76 Clericus coram laico Iudice falſum teſtimonium dicens, ab eo puniri non poteſt. *reſ.* 109.

77 Iudex laicus de rebus Eccleſ. non poteſt incidenter cognoſcere; quia eſt incompetens, & incapax. Poteſt verò Eccleſ. Iudex de cauſis profanis incidenter cognoſcere, quia eſt quidem incompetens, ſed non incapax. *reſ.* 110. *pag.* 56. 57.

78 Filius clerici, qui etiam eſt clericus, à Principe laico legitimari non poteſt. Quia legitimatio eſt actus Iuriſdictionis. *reſ.* 111. *pag.* 57.

79 Episcopus potest delegare Iudici laico causam Eccles. Iurisdictionis merè ciuilem. *resol.* 112.

80 Princeps sæcularis potest impedire, ne fiat iuramentum; si tamen fiat, erit obseruandum, nisi Episcopus relaxet. *res.* 113. *pag.* 57. & 114. *pag.* 58.

81 Potest Iudex sæcularis cogere laicum ad condonandam obligationem iuramenti, metu, aut iniuria extorti, si id, de quo agitur, pertinet ad forum sæculare. *res.* 115.

82 De dote puellæ pauperis, testamento relicta, est Iudicis Eccles. cognoscere principaliter, & ad instantiam partis. *res.* 116.

83 Viduæ, pupilli, &c. personæ oppressæ, etiam sine Iudicis sæcularis negligentia, possunt aduersarios suos trahere ad Eccles. tribunal. *res.* 117.

84 Clericus relegatus à Iudice

Eccles.

Eccles. si durante relegatione fiat laicus, & frangat relegationem, potest à Iudice Eccles. puniri. *res.* 118. *pag.* 59.

85 Non est necesse iudicem Eccles. præmittere censuras, antequam imploret brachium sæculare; si tamen iudex laicus nolit brachium suum præstare, potest ad id cogi per excommunicationem. *res.* 120.

86 Summus Pontif. in toto orbe Christiano potestatem seu iurisdictionem non habet directè in temporalia: ex vi tamen Pontificij muneris, habet sufficientem potestatem in omnia sæcularia negotia in ordine ad finem supernaturalem. *res.* 121.

87 Quando oritur grauis controuersia inter duos Principes, nec vllus est arbiter, potest Summus Pontif. vt obuiam eat incommodis inde nascituris, de ea cognoscere. *res.* 123. *pag.* 60.

88 Priuile

88 Priuilegium exemptionis à iurisdictione temporali fuit Clericis concessum ante tempora Constantini; vt patet ex Concilio tertio Carthaginensi, *can.* 9. vbi damnat Episcopos, & Ecclesiasticos ad iudicia sæcularia confugientes. *res.* 126. *pag.* 61.

89 Non potest Princeps sæcularis leges condere ad substantiam matrimonij pertinentes; licet enim materia huius Sacramenti sit contractus; hæc tamen materia per Christum facta est sacra. *res.* 127.

90 Religiosus professus qui miscuit se enormibus delictis, ante trinam monitionem, non est à iudice laico puniendus. Neque à Superiore degradandus est, nec Curiæ sæculari tradendus inconsulto Rom. Pontif. *res.* 129. *p.* 61. 62. 63.

91 Iudex Eccles. est competens in causis sponsaliorum, præsertim cùm

cùm agitur de ipſorum valore.*reſ.* 130.*pag.*63.

92 Ad iudicem tantùm Eccleſiaſticum ſpectat, pendente lite ſuper matrimonio, vel ſponſalitiis, puellam ſequeſtrare ad explorandam eius voluntatem. *reſol.* 131.*pag.*64.

93 Inquiſitores poſſunt procedere contra iudices laicos, qui hæreticos ſibi relictos non ſtatim ad mortem damnant; neque propterea incurrunt irregularitatem, ita decernentibus Paulo IV. & Pio V.*reſ.*134.*pag.*65.

94 Inquiſitorum iuriſdictio in familiares,& officiales ſuos,etiam extra hæreſim,eſt Eccleſiaſtica.*reſ.* 135.

95 Iudex Eccleſiaſticus poteſt cognoſcere de cauſa laici ſimul delinquentis cum Clerico: cùm enim Eccleſiaſticus iudex ſit dignior laico, ipſius erit vtrumque reum iudicare. 3.*p.tr.*1.*reſ.*1.*p.*1.

96 Iudex laicus non poteſt cognoſcere de cauſa hæreſis, etiam in quæſtione facti. *reſ.2.*

97 Lex inualidans donationem omnium bonorum factam à patre, filio clerico, multis DD. videtur eſſe contra immunitatem Eccleſ. quia non poteſt lex ciuilis hanc præſumptionem inducere, vt alienatio bonorum facta in fauorem Eccleſiæ, fieri videatur in fraudem fiſci. *reſ.3.pag.2.*

98 Non poteſt iudex laicus exequi ſententiam à ſe latam contra clericum, in caſibus, de quibus poteſt cognoſcere; ſed relinquenda eſt executio iudici Eccleſiaſtico. *reſ.4.*

99 Rex de licentia Summi Pontif. poteſt detinere Epiſcopum, eóque vti ad regni adminiſtrationem, ſi ita expediat propter bonũ commune; ſi verò nulla adſit neceſſitas publica, Epiſcopus obligatur ad reſidentiam. *reſ.5.*

100 Episcopi feudatarij Regis, tenentur potius obedire Pontifici seu Metropolitano, quàm Regi. *ref.6.pag.3.*

101 Filij clericorum legitimi, viuente patre gaudent priuilegio fori. *ref.7.*

102 Reges & Imperatores, ex speciali priuilegio, ab Episcopis excommunicari non possunt, ob reuerentiam Imperialis, & Regiæ maiestatis. *resol.9.pag.4.*

103 Clerici tenentur soluere collectam certam, & inuariabilem impositam per statutum, super aliqua bona, priusquam ad eos peruenissent. *resolut.17.pag.6.*

104 Iudex Ecclesi potest præcipere iudici sæculari sub pœna excommunicationis, vt supersedeat executioni contractus, donec decidatur an sit vsurarius, necne. *ref.18.*

105 Iudex laicus non potest exigere gabellas à colonis Regularium:

larium: quia bona & prædia Regularium sunt exempta ab hoc onere. Tenentur tamen dicti coloni soluere gabellam ex fructibus collectis, si eos aliò transferant, aut alienent; tunc enim censentur bona laicorum. *resol.* 19. *pag.* 7.

106 Item coloni laici Regularium, qui eorum agros conducunt; exempti sunt à solutione decimarum; quia hoc priuilegium exemptionis est reale. *resol.* 23. *pag.* 8.

107 Si Ecclesia, vel persona priuilegiata concedat damnum, vel agrum in censum emphyteuticum redimibilem; emphyteuta non gaudebit priuilegio exemptionis; quia tunc dominium non remaneret penes Ecclesiasticum, sed solum ius recipiendi annuam pensionem. *res.* 24.

108 Conseruatores religiosorum possunt procedere contra eo-

rum debitores laicos. *ref.* 20. *pag.* 7.

109 Reges & Principes non habent ius conuocandi Episcopos & eis præcipiendi; quia iure diuino sunt exempti à Principum sæcularium iurisdictione. *ref.* 27. *pag.* 9.

110 Nouitius non potest à Iudice laico puniri ob delictũ ab eo commissum ante ingressum religionis, etiamsi hoc fecerit in fraudem, nisi forte pœna pecuniaria: sed neque hoc videtur attendendum, an sit cum fraude ingressus, necne, sed simpliciter à Iudice Eccles. debet iudicari. *ref.* 33. *pag.* 11.

111 Nouitius postquam religionem deseruit, non potest puniri à Iudice laico propter delictum perpetratum tempore nouitiatus. *ref.* 34.

112 Episcopo debet certò constare de delicto in Bulla excepto,

antequam

antequam tradat reum Curiæ sæculari; sic enim Pontifex præcipit in Bulla. Sin Episcopus tulit sententiam in fauorem rei, non potest Iudex sæcularis de tali sententia appellare. *ref.* 38. *pag.* 12.

113 Ad Principes sæculares non spectat curare, vt Episcopi resideant in suis Ecclesiis, ne Eccles. bona dissipent, &c. Quia nullam in Clericos habent potestatem. Possunt tamen mouere summ. Pontif. vt curet disciplinam Ecclesiasticam ab Episcopis seruari. *ref.* 42. *pag.* 13.

114 Ius congrui non habet locum in Clericis passiuè, sed actiuè tantùm. Ideo possunt clerici iure congrui agere contra laicos, non autem laici in clericos: quia statuta laicorum prodesse possunt clericis, non autem nocere. *ref.* 43.

115 Vxor Sacerdotis Græci, vel

Latini clerici minorum ordinum gaudet priuilegio fori, si vir gaudet: quia vxor ratione matrimonij sortitur forum viri: neque illud amittit per mortem viri, nisi alteri nubat. *ref.*45.*pag.* 14.

116 Familia Vicarij Episcopi gaudet priuilegio fori. *ref.* 46. Serui etiam Clericorum perpetui licèt Mauri, aut Turcæ, immò fortè etiam cōductitij, eodem priuilegio gaudent. *ref.*47.

117 Ad declinandum forum iudicis laici, sufficit possessio clericatus. Prima tonsura vnius testimonio sufficienter probatur. *ref.* 48.*pag.*15.

118 Si adsit clausula de non alienando, non potest fieri executio per sæcularem Iudicem in prædio, quod clericus à laico obtinuit. *ref.* 49.

119 Ius decimarum, Ecclesiasticum est, etiamsi fuerint Principibus, vel aliis sæcularibus in feudum

feudum datæ. Si tamen authoritate Rom. Pontif. fuerunt ad Principes translatæ contractu permutationis, quia ipsi in re alia æqualis pretij vel maioris compensant, tunc causa decimarum pertinet ad laicum Iudicem, ratione permutationis. *res.* 50.

120 Aduocatio causarum spiritualium ad laica tribunalia est vetita sub censura Bullæ Cœnæ, etiã si auocetur ab aliis Iudicibus Ecclesiasticis, quàm à Iudicibus sedis Apost *resol.* 55.*pag.* 16.17. Neque Iudices laici euocantes ad se causas Eccles. excusantur ex tolerantia summi Pontif. quæ nulla est, reclamante Bulla Cœnæ. *res.* 56. *pag.* 17. Priuilegium autem cognoscendi causas Eccles. Principibus concessum, à Papa potest reuocari, vtpote odiosum: nõ tamen sine iusta causa, si fuit concessum in remunerationem.*res.*57.

121 Iudex laicus non excuſatur ab excommunicatione Bullæ Cœnæ, prætextu quod non ſit recepta in ſua prouincia: quia Bulla excludit omnem prætextum. *reſ.54.pag.16.*

122 Clericus in feudalibus poteſt conueniri coram Iudice laico, quia non ſubiicitur iudicio domini feudi tanquam perſona Eccleſiaſtica, ſed tanquam Dux, Marchio,&c. *reſol. 59. pag. 17.*

123 Poteſt Iudex Eccleſiaſticus punire laicum deponentem falſum: ſed non contrà: quia Iudex Eccleſ. habet iuriſdictionem in laicum, ratione periurij. *reſ.60. pag.18.*

124 Habens coadiutoriam à Papa conceſſam, gaudet priuilegio fori, quia cenſetur beneficiatus. Item clericus qui obtinuit beneficium, quod non poterat obtinere, quia illegitimus, irregularis, &c.

&c. si reipsa est in possessione beneficij. *res.62.*

125 Ille censetur priuilegio fori gaudere, qui eo vtitur vestium genere, vt si à populo videatur, clericus iudicetur: si autem dubitetur, an habitus sit clericalis, necne; cognitio pertinet ad Iudicem Eccl. *res. 63.*

126 Licet ex Priuilegio concedi possit per Papam collatio beneficiorum Principi laico; nulla tamen consuetudine, aut præscriptione etiam immemorabili, acquiri potest. *res.65.pag.19.*

127 Si constet aliquod statutum officere Eccles. libertati, debet Episcopus præcipere, vt tollatur; si id non fiat, debet ipse auctoritate sua tollere, & inualidum declarare. In dubio verò, an statutum sit contra libertatem Eccles. potest cogere conditorem statuti, ad declarandum, clericos non comprehendi. *res.68. pag.20.*

128 Iudex laicus poteſt dirimere controuerſias ortas inter Confraternitates in proceſſione. Cùm autem agitur, an aliquis ſit admittendus in confraternitatem; an ſit legitimè quis electus Rector illius, &c. hæc cognitio pertinet ad Epiſcopum, aut eius Vicarium. *reſ.70.*

Inimicus.

SAlutatio, reſalutatio, allocutio, &c. eodem modo debentur inimicis quo aliis. Allocutio & conuerſatio non debentur omnibus, ſed tantùm inter ſe coniunctis. Salutatio anticipata nulli debetur niſi iis qui dignitate præcellunt. Reſalutatio, & reſponſio omnibus debentur virtute affabilitatis, præſertim conciuibus: illas autem omittere non eſt regulariter peccatum mort. niſi ratione ſcandali; vnde infertur non eſſe

esse certum, peccare mortaliter eum qui occurrentibus pluribus inter quos est inimicus, salutat omnes excepto inimico, quia potest illum prætermittere in significationem acceptæ iniuriæ; non tamen in odium, aut vindictam. 2.*part. tract.*1. *Misc. resol.* 62.*pag.* 71.

Inuidia.

TRistari de bono alterius, quia tibi bonum proprium diminuit, est peccatum mortale inuidiæ ex genere suo. 3.*part. tract.*6. *Misc.res.*85.*pag.*158.

Irregularitas.

1 QVando in rixa plures aliquem percutiunt, vnus autem lethale vulnus infligit, ex quo percussus moritur; si constat quis inflixerit, ille solus irregula-

ritatem incurrit, cæteri verò vt ab homicidio, ita etiam ab irregularitate excuſantur. 2. *part. tract.* 1. *Miſcell. reſ.* 18. *pag.* 48.

2 Ad irregularitatem ex homicidio voluntario contrahendam, ſuper qua non poſſit Epiſcopus diſpenſare, requiritur, vt homicidium deliberato animo, & inito conſilio fiat; nam ſi in rixa repente exorta, aut propter verba contumelioſa ſubito homicidium perpetratur, caſuale cenſetur, & non voluntarium, & poteſt Epiſcopus circa irregularitatem ex illo contractam diſpenſare. *ibid. reſ.* 19. *pag.* 48.

3 Qui in rixa præſcindit alteri digitum, non eſt irregularis: quia irregularitas non incurritur, niſi ob mutilationem alicuius membri: At digitus non eſt membrum, vt docent Iuriſconſulti, illud enim propriè dicitur membrum, quod habet officium ab aliis corporis

poris partibus diſtinctum, vt oculus, manus: vnde ſequitur non eſſe irregularem, qui fœminæ amputat mamillam, vel auriculam, id eſt, cartilaginem, &c. quæ tantùm pertinent ad ornatum. *ibid. reſ. 20. pag. 49.*

4 Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum legitimo occulto ſuper irregularitate, ad ſacros ordines ſuſcipiendos: cùm enim hæc irregularitas orta fuerit ex peccato parentum, videtur pertinere ad irregularitatem ex delicto. *ibid. reſ. 21.*

5 Infantes expoſiti, quorum parentes ignorantur, cum adoleuerint, poſſunt ſine diſpenſatione Papæ, aut Epiſcopi, ſacros Ordines ſuſcipere; neque enim ob defectum natalium ſunt irregulares, quia quilibet præſumendus eſt legitimus, donec probetur contrarium. *ibid. reſ. 22. pag. 50.*

6 Ob hæreſim exteriorem, non tamen

tamen notoriam, incurritur irregularitas; à qua tamen potest Episcopus dispensare. Licet enim per Bullam Cœnæ adempta sit Episcopis facultas absoluendi ab hæresi occulta; non tamen adempta est potestas super irregularitate ex ea contracta dispensandi. *ibid. resf.24.pag.51.*

7 Ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiritur peccatum mort. neque sufficit quæcumque negligentia venialis: quia irregularitas est pœna grauissima, ergo non nisi ob graue delictum infligenda. *ibid. tract. 2. Miscell. resf.20.pag.84.*

8 In dubio facti circa homicidium, censendus est aliquis irregularis: secus in aliis dubiis facti, v. g. si quis dubitat, an sit legitimus, potest censeri legitimus, & sacros ordines suscipere: quia in iure tantùm pro dubio homicidij incurritur irregularitas, ergo in aliis

aliis dubiis non incurritur. 3. *part. tract.* 5. *Miscell. res.* 72. *pag.* 205.

9 Sacerdotes qui comitantur reum ad supplicium, non incurrunt irregularitatem hortando illum, vt scalam conscendat: vel alia ratione ei mortem accelerando: quia hæc irregularitas defectu lenitatis incurritur tantùm à iustitiæ ministris, & iis qui concurrunt ad causæ probationem, & pœnæ executionem. Notent hîc Sacerdotes posse se sine periculo irregularitatis ministrare infirmis, eos vertere modò in hanc, modò in illam partem, licet præter intentionem mors inde acceleretur, dummodo hæc fiant cum cautela, quæ communiter à prudentibus adhibetur. *ibid. res.* 79. *pag.* 108. 109.

10 Confessarius vel alius Doctor interrogatus à iudice, an teneatur reum morti addicere, non incurrit irregularitatem, etiamsi expressè

expreſsè reſpondeat teneri, quia ſoli miniſtri iuſtitiæ; vel concurrentes ad cauſæ probationem, incurrunt irregularitatem defectu lenitatis. *ibidem, reſol.* 80. *pag.* 209.

11 Qui habet in manu ſex digitos, ſeu coniunctos, ſeu diuiſos, modò non ſit magna deformitas, nec impedimentum in vſu membri, non eſt irregularis. *ibid. tract.* 6. *Miſcell. reſ.* 61. *pag.* 249.

12 Irregularitas ex homicidio non incurritur ob concurſum ad illud; niſi aut factum à miniſtro publico iuſtè, aut factum à perſona priuata iniuſtè; vnde qui vendunt aut donant ligna ad viuos comburendos, & gladios, & funes ad interficiendos reos, nec Confeſſarius, nec quiuis alius, qui accelerat mortem alicui, incurrit irregularitatem: quia in iure, vbi fit mentio irregularitatis ex defectu lenitatis, tantùm eſt ſermo

de

de iudicibus & aliis officialibus ac miniſtris iuſtitiæ;ergo hæc irregularitas non eſt ad alios extendenda.*reſ.*15.

Iudex.

1 IVdex non peccat, ſi quando plures litigantes æquali iure temporis gaudent, vnius cauſam ante alios expediat ex pacto oblati muneris; ſpectato enim iure naturali non facit aliis iniuriam, In gratiam verò Titij remuneratoris ſuſcipit nouam obligationem expediendi cauſam ipſius ante alios, quæ obligatio videtur pretiò æſtimabili. Notandum hîc obiter Iudicem ſecluſo ſcandalo, & periculo iniuſtitiæ, poſſe accipere, nec teneri reſtituere id, quod accepit à litigantibus, ſi datum ſit inſtar muneris liberalis, vt maiorem ſolito diligentiam in cauſa adhibeat. 3.*part.* *tract.* 5. *Miſcell.* *reſ.* 445.*pag.*195.

2 Si circa litem aliquam ea eſt varietas ſententiarum, vt Iudici integrum ſit vtramlibet partem in iudicando ſequi, non peccat contra iuſtitiam, ſi aliquid ab vna parte accipiat, vt in eius potius fauorem iudicet: cum enim liberum ei ſit, quam maluerit partem ſequi, non facit vlli iniuriam, ſi aliquid accipiat, vt hanc ſequatur potius quàm illam: neque in hoc caſu accipitur pretium pro æquitate ſententiæ. Immo probabile eſt Iudicem poſſe aliquid accipere pro ferenda ſententia iuxta opinionem probabilem, relicta probabiliori: quia non tenetur Iudex ſemper ſequi probabiliorem opinionem. *ibidem, reſ.* 55. *pag.* 200.

3 Aduocatus poteſt eſſe Iudex in cauſa cuius fuit patronus, etiam altera parte inſcia, modò ſententiam ferat ſecundùm leges, nullo habito reſpectu ad affectionem carnalem. *ibid. reſ.* 56.

4 Non

4 Non tantùm in causis capitalibus, sed etiam in ciuilibus licet appellare à iudice inferiori, etiãsi sententiam tulerit iuxta opinionem probabiliorem: Iudex enim superior ad quem appellatur, potest iudicare secundùm opinionem probabilem, relicta probabiliori. *ibid. res.* 104. *p.* 218. 219.

5 In causis criminalibus Iudex opinionem probabilem in fauorem rei, relicta probabiliori non solùm sequi potest, sed etiam debet: quia in criminalibus ad condemnandum reum debent probationes esse luce meridiana clariores, vt habetur in lege, *sciant cuncti. Cod. de probat*, sed quamdiu defensio rei contra accusatores manet probabilis, accusationes contra reum licèt sint probabiliores; non tamen sunt meridiana luce clariores; ergo non est reus condemnandus; non solùm quando opinio in fauorem

rei est probabilis circa factum; sed etiam quando est probabilis circa ius. *res*. 13.

Iuramentum.

1 IVrare vtendo amphibologiis absque necessitate, non est peccatum mort. neque periurium, modò id iuramentum non fiat in iudicio, dum iudex iuridicè interrogat, vel non cedat in damnum tertij: quia huic iuramento deest sola discretio, seu iudicium; nam diuinum testimonium non debet absque necessitate his amphibologiis, & æquiuocationibus misceri. 2. *part. tract.* 1. *Miscell. resol.* 25. *pag.* 51. Quare Sacerdos interrogatus de culpa in confessione audita, verè iurare potest se nescire, subintelligendo quod nesciat tanquam homini subiectus; & se nihil tale in confessione audisse. 3. *part. tract.*

tract. 6. *Miscell. resol.* 30. *pag.* 234.

2 Iuramentum de seruandis statutis Reipubl. Ciuitatis, &c. non extenditur ad statuta, quæ in desuetudinem abierunt; cum enim per contrariam consuetudinem sint abrogata, illa non obseruantes periuri non sunt. *ibid. res.* 39. *pag.* 240. 241.

3 Blasphemiæ, imprecationes, & iuramenta, orta ex praua consuetudine, & per inaduertentiam prolata, non sunt peccata mortalia, neque ita iurantibus est absolutio deneganda; sed admonendi sunt, vt se accusent de negligentia in hac consuetudine extirpanda. *ibid. res.* 62. *pag.* 202.

L

LEGES.

1 LEGES humanæ ciuiles vt obligent, requiritur acceptatio populi; alioquin essent nimis onerosæ. Leges autem Pontificiæ ab eiusmodi acceptatione non pendent; quia Pontif. iurisdictionem accipit immediatè à Deo; si tamen per non vsum aliqua est abrogata, non obligat ampliùs. 1. *part. tract.*10. *res.*1. *pag.* 175.176.

2 Quando lex est à Principe legitimè promulgata, peccant subditi, si sine causa nolint illam acceptare. *res.*2. *pag.*176.

3 Quando dubitatur, an lex sit vsu recepta, necne, potest quis sententiæ negatiuæ adhærere. *res.*3.

4 Vt

4 Vt lex non obliget, ſatis eſt eam non obſeruari, etiamſi Princeps hoc neſciat: quia leges humanæ feruntur cũ hac tacita conditione, ſi populus recipiat. *reſ.* 4.

5 Si Epiſcopi, & Principes, qui tunc viuunt, cùm lex Pontificis primùm promulgatur, eam non recipiunt; ſucceſſores eorum excuſantur. *reſ.* 5. *pag.* 177.

6 Licet ſupplicationem pro reuocanda aliqua lege porrigere, & interim ſuſpendere eius obligationem, & illam non ſeruare, donec legiſlator mentem ſuam aperuerit. *reſ.* 6.

7 Vt lex per non vſum abrogetur, non requiritur certum tempus, ſed ſolùm repugnantia per actus contrarios: nullum enim ius præſcribit certum tempus, v. g. 10. annorum. Sciente Principe & non puniente, aliqui ſentiunt ſufficere duos vel tres actus contra legem. *reſ.* 7.

8 Vt Pontificiæ leges obligent, non eſt neceſſe illas promulgari in ſingulis diœceſibus, & prouinciis: ſufficit, ſi Romæ promulgentur. *reſol.*8.*pag.*178. Non tamen cenſentur obligare, niſi poſt duos menſes à promulgatione. *reſol.*9. *pag.*178.179.

9 Legiſlator, qui non habet Superiorem; tenetur quidem legibus quæ omnes obligant, vt legibus taxantibus pretia mercium; non tamen vi coërcitiua, ſed directiua, vt ſit conformitas inter caput, & membra; ſed non peccat mortaliter, ſi eas non ſeruet, niſi iurauerit, ſe illas ſeruaturum. *reſ.* 10.*pag.*179.

10 Regulares non tenentur obſeruare leges Synodales Epiſcoporum, niſi ex decentia, & ad vitandum ſcandalum. Sunt tamen multi caſus, in quibus religioſi etiam exempti tenentur legibus & ſententiis Epiſcoporum, quia ſunt

ſunt in iure expreſſi. *reſol.* 11. *pag.* 180.

11 Aduenæ, & peregrini non obligantur ad ieiunia, obſeruationem feſtorum, & conſuetudinum locorũ, in quibus verſantur, niſi habeant intentionem manendi ibi pro maiori anni parte; aut niſi tranſgreſſio legum cedat in damnum illius loci, vt ſi lex prohibeat frumenta ex illo loco exportari: hanc enim legem peregrini tenẽtur obſeruare. Tenentur etiam aduenæ, ſi contrahunt ibi, ſeruare ſolemnitates contractuum iuxta conſuetudinem loci. *reſ.* 13. *&* 15. *pag.* 180. 181. At vagi, qui nullibi certam habent ſedem, tenentur obſeruare leges locorum, in quibus reperiuntur; alioquin viderentur exempti ab omnibus ſtatutis,& legibus, quod eſt abſurdum. *reſ.* 16. *pag.* 182.

12 Lex pœnalis in materia graui, v.g. quæ aliquid vetat ſub pœ-

na capitis, confiſcationis bonorum, damnationis ad triremes, &c. obligat ſub peccato mort. Quia pœna ſupponit culpam. *reſ.* 17.18.20.*pag.*182.183.

13 Fraudantes vectigalia iuſta in materia notabili, quæ ſufficiat ad peccatum mort. peccant mort. & tenentur ad reſtitutionem, quia tamen ſententia negatiua eſt etiam probabilis, ſi nolint reſtituere, non ſunt à Confeſſariis vrgendi, ſed abſoluti poſſunt. *reſ.* 19. *pag.*183.

14 Lex pœnalis Eccleſiaſtica, puta excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. obligat ſub mortali, ex communi DD. ſententia. *reſ.*21. *pag.*184.

15 Decretum Cardinalium contra Religioſos accedentes ad loquendum cum monialibus, vbi eſt in vſu, obligat ad peccatum mort. *reſol.* 22.

16 Lex pœnalis non obligat ad pœnam

pœnam ſubeundam ante iudicis ſententiam, niſi clarè appareat talem eſſe mentem legiſlatoris. Neque tenetur ad reſtitutionem is qui eſt in cauſa, ne quis perſoluat pœnam à lege impoſitam. Secus tamen ſentiendum eſt de pœnis in teſtamento appoſitis; & ſic fœmina cui relictum eſt legatum, ſi caſtè viuat, non poteſt legatum recipere, ſi turpem vitam degat. *reſ.* 23.

17 Qui per legem pœnalem priuatur ipſo facto voce actiua & paſſiua, non tenetur ſubire pœnam, ſi nequit hoc facere ſine infamia. Quia ius ad propriam famam conſeruandam præponderat iuri humano. Tenetur tamen in tali caſu delinquens diligenter inquirere diſpenſationem. *reſ.* 24. *pag.* 185.

18 In dubio, an lex obliget ad mortale, an ad veniale, poteſt quis ſequi mitiorem partem. Quia

Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem, *reſ.* 25.

19 Lex pœnalis ex identitate rationis eſt extendenda ad alios caſus. *reſ.* 26.

20 Lex fundata in præſumptione non obligat in conſcientia, ſi contingat præſumptionem in aliquo caſu falſam eſſe. Hæc ſententia eſt tuta etiam in foro interno. Quare hæres, qui non confecit inuentarium, non tenetur in foro conſcientiæ ſoluere legata vel debita defuncti, ſi excedant vires hæreditatis. *reſol.* 27.

21 Quando ceſſat finis adæquatus legis in aliquo caſu particulari, ceſſat etiam obligatio legis. Quia valet argumentum de toto ad partem; ſed quando ratio legis ceſſat in totum, ceſſat etiam lex in totum; ergo quando ratio legis ceſſat in partem, ceſſabit etiam

etiam obligatio legis in partem. *res.28.pag.186.*

22 Declarationes Cardinalium maximi quidem ſunt ponderis, & ab iis nulla ratione recedendum ſine firmiſſimo fundamento; attamen vim legis non obtinent: quia lex non obligat, niſi promulgetur; ſed dictæ declarationes non promulgantur. ergo. *reſol.29. pag.187.*

23 In dubio an conſuetudo fuerit inducta ex deuotione, an ex intentione obligandi, præſumendum eſt non fuiſſe inductam tanquam obligatoriam. *reſ.30.*

24 Poteſt Prælatus diſpenſare, quando dubitat, an cauſa diſpenſationis ſit iuſta; quia in dubio inclinandum eſt in benigniorem partem. *reſ.31.*

25 Superior diſpenſans in propria lege ſine iuſta cauſa, non peccat mort. ſed venial. tantùm, ſecluſo ſcandalo, & graui alterius damno.

damno. Idem esto iudicium de petente dispensationem, neque in vsu dispensationis obtentæ vllo modo peccat. *ref.32.pag.*188.

26 Si Prælatus inferior bona fide dispenset, putans causam esse iustam, valida est dispensatio, etiamsi postea constet causam non fuisse sufficientem. *ref.*33. Item si Prælatus inferior dispenset in lege Superioris, non præcognita causa, quæ reuera est sufficiens & legitima, valebit dispensatio, donec reuocetur. *ref.*34.

27 Quando erratur in nomine personæ petentis dispensationem, vel etiam diœcesis, vt si petẽs dispensationem dicatur esse diœcesis Lugdunensis, cùm tamen sit Gratianopolitanæ, valida est dispensatio. *ref.36.pag.*189.

28 Potest Episcopus inconsulto Summo Pontif. dispensare cum pauperibus, qui non possunt suis sumptibus Pontificem adire: quia

non

non tenetur Episcopus in impetrandis eiusmodi dispensationibus redditus suos consumere. *resolut.* 37.

29 Si quis voluntariè occidit Sacerdotem, & in petenda dispensatione ab irregularitate, solùm dicit se occidisse hominem, valida est dispensatio. *res.* 38.

30 Non potest peti dispensatio super aliquo impedimento matrimonij, suppresso alio, postea dispensando: hoc enim est contra praxim, & vsum Romanæ Curiæ. *res.* 39.

31 Si quis obtinuit dispensationem ad contrahendum cum consanguinea, sed ea minimè est vsus; postea petens aliam dispensationem cum alia consanguinea, non tenetur in secunda dispensatione mentionem facere prioris. Neque inde sequitur duas illas dispensationes esse simul validas, nam per impetrationem posterioris,

ris, impetrans renuntiat priori. *ref.* 40.*pag.*190.

32 Cessante causa dispensationis, non cessat dispensatio: quia per dispensationem extincta est obligatio legis: ergo cessante causa non potest reuiuiscere. Ita qui dispensatus est ad esum carnium in Quadrages. propter infirmitatem, non peccat, si ea cessante, carnibus vescatur. *ref.*41.

33 Illa dispensatio est subreptitia, in qua tacetur aliquid, quod secundùm stylum Curiæ est necessariò declarandum. *ref.*42.

34 Regulæ Cancellariæ non obligant in foro interiori: quare donatio inter viuos facta per Episcopum intra viginti dies ante obitum, valet in foro conscientiæ, licet per regulam Cancellariæ, in foro externo sit nulla. *ref.*43.*pag.* 190.191.

35 Dispensatio inter consanguineos non est subreptitia, etiam-

si

ſi non fiat mentio de copula habita inter eos: quia ſi copula illa fuiſſet expreſſa, faciliorem reddidiſſet diſpenſationem. Quod verum eſt, etiamſi in reſcripto dicatur (*ſi copula non fuerit*) dummodo ea copula non probetur in foro externo; quia illa clauſula intelligenda eſt iuxta naturam illius diſpenſationis *reſ.*44.*pag.*191.

Ludus.

1 QVi domum ſuam exponit omnibus ad ludendum aleâ, peccat mortaliter: nam talis ludus deſtinatur vt plurimùm ad malum vſum: ibi enim vel blaſphematur, vel rixæ excitantur, vel dilapidantur bona, vel furta committuntur, vel fiunt periuria, &c. Denique talis ludus rariſſimè abſque peccato mortali exercetur; quare ex lege naturali oritur obligatio non miniſtrandi luden-

tibus materiam peccati. Vnde infertur exponentes domum eiusmodi ludo non tantùm peccare mortaliter, sed etiamsi lusores teneantur ad restitutionem, & non restituant, ipsos teneri satisfacere. 2. *part. tract.* 1. *Miscel. res.* 65. *pag.* 72. 73.

2 Non tenetur quis soluere pecunias, quas ludo aleæ vel alio prohibito perdidit: cùm leges concedant ius repetendi pecunias in ludo prohibito amissas. *tract.* 2. *Miscell. res.* 8. *pag.* 102.

Luxuria.

1 SI in cogitationibus venereis voluntas nec consentiat, nec dissentiat positiuè, sed tantùm permissiuè se habeat, non impediendo, nec reprimendo motus luxuriæ quos potest reprimere, ab his animum auocando, non est peccatum mortale: debet enim

esse

esse complacentia positiua in motibus sensualitatis, vt imputentur ad peccatum mortale, neque tenetur voluntas illam cogitationem repellere nisi sit periculum formalis, & expressi consensus. Quia præceptum negatiuum, *Non concupisces*, obligat tantùm ad non consentiendum, non autem ad motus concupiscentiæ comprimendos. 2.*part.tract*.3. *Miscell res*. 33.*pag*. 113.

2 Ad semen corruptum expellendum, vel ad pruritum sedandum, fas est confricare verenda, licèt præter intentionem sequatur seminis emissio. Item potest chirurgus curationis causa attrectare pudenda infirmi cum periculo pollutionis. 2.*part.tract*.2. *Miscel. res*.56.*pag*.97.

3 In delectatione morosa nihil est opus fateri circumstantias, si illa delectatio consistat in simplici complacentia sine vllo affectu

ad opus externum : nam circumſtantiæ non mutant ſpeciem : v.g. delectatio ſimplicis complacentiæ quæ fertur in fœminam coniugatam , non habet malitiam diſtinctam ab ea quæ fertur in virginem : vtraque enim opponitur virtuti caſtitatis per turpitudinem veneream : quippe delectatio de coniugata non verſatur circa illud obiectum, quatenus eſt iniurioſum alteri , ac proinde non participat malitiam adulterij ; ſed tantùm quatenus eſt delectabile ſecundùm tactum , quia ſcilicet mulier eſt pulchra ; neque expreſsè neque interpretatiuè approbatur iniuria in maritum, quia nullus eſt conſenſus in opus externum. Idem videtur dicendũ ſi delectatio illa ſimplicis complacentiæ feratur in perſonam affinem, vel religioſam; præſcinditur enim ab hac circumſtantia, nec ea quicquam confert ad illam delectationem.

nem. *ibid.tract.*3. *Miſcell.reſol.*34. *pag.*114.

4 Non eſt peccatum mort. intereſſe Comœdiis, ſi audiantur, aut ſpectentur ad ſolam vanam curioſitatem, abſque periculo probabili lapſus, etiamſi res turpes turpi modo exhibeantur: tamen eſt periculoſæ plenum opus aleæ. *ibid.reſ.* 35.

5 Confricare genitalia brutorum ſine delectatione, ex curioſitate inſpiciendi ſemen, non eſt peccatum mort. quia non eſt mortale impedire generationem bruti. *ibid.reſ.*37.*pag.*115.

6 In rebus venereis non datur paruitas materiæ: cùm enim nulla ſit tam exigua fornicatio quin ſit peccatum mort. & delectatio ſequatur naturam actus; omnis delectatio moroſa in hac materia eſt peccatum mort. 3. *part. tract.* 5. *Miſcell.reſ.*1.*pag.*178.

7 Si vidua, vel ſponſa de futuro

carnaliter delectetur de copula præterita vel futura, vtraque peccat mort. Quia sicut actus venereus externus vtrique est illicitus, ita est illicita delectatio circa illum actum. *ibid. res.* 2.

8 Chirurgus expertus se in pollutionem consentire dum medetur pudendis fœminarum, non potest se tali periculo obiicere. Idem dicendum de Parocho fœminarum confessiones audiente: quia nulli licet exponere se formali periculo peccandi etiam ob bonum spirituale proximi. *ibid. res.* 3. *pag.* 179.

9 Omissio orationis in graui tentatione carnis, vbi est periculum consensus, non est speciale peccatum, & distinctum ab eo peccato ad quod vitandum requirebatur oratio. *ibidem, res.* 16. *pag.* 184.

10 Non tenetur quis pollutionem in somno inchoatam, euigilans

lans reprimere : quia cœpit inuoluntariè,& ſine peccato,continuatio verò illius eſt effectus naturalis illius cauſæ inculpabilis. Immo gaudere de illa pollutione non ob delectationem , ſed ob ſanitatem , & illam optare , non eſt peccatum ne veniale quidem.*ibid. reſ.21.pag.186.*

11 Accubans hoc vel illo modo , & ſentiens ſe ex tali ſitu in pollutionem cadere , ſi abſit periculum conſenſus,non tenetur mutare ſitum , aut aliter decumbere. Item ſi qua mulier in choreis ſciat ſe tangi ab aliquo intentione mala , modò tactus ex ſuo genere ſit licitus , vt conſertio manuum in choreis, non peccat eiuſmodi tactus admittendo coram aliis.*ibid. reſol.22.*

12 Tangere immediatè viri vel fœminæ verenda , vel alias partes corporis ſecretiores , eſt peccatum mort. quia id valde prouo-

cat ad luxuriam. Item aſpicere perſonam alterius ſexus nudam, niſi valde leuiter, & quaſi per tranſennam id fieret. *ibid. reſ.*88. 89.*pag.*213.

13 Fœmina vi compreſſa à viro non peccat mort. ſi habeat firmam voluntatem non conſentiendi, & ſi impediat quantum in ſe eſt, ne ſibi vis inferatur, clamore, & niſu corporis, alioquin cenſetur conſentire: tamen ſi obniti non poteſt, ad vitandam mortem poteſt pati extremam corruptionem non conſentiendo, ſed merè paſſiuè ſe habendo. *ibid. tract.* 6. *Miſcel. reſ.*31. *pag.*235.

14 Licet ex iuſta cauſa locare domum meretrici, vel alicui petenti ad fornicandum: quia locare domum eſt res per ſe indifferens, quæ ex ſola praua abutentis intentione ad malum ordinatur. *ibid. reſ.*45. *pag* 242.

15 Scribentes & deferentes literas

ras ad mulierem,quibus ad peccatum inuitatur, peccant mort. *ibid. reſ.*46.

16 Probabile eſt per copulam fornicariam non contrahi affinitatem iure naturali, nullum quippe eſt nomen, quo nominari poſſint ſic affines ex fornicatione; quare ſi Chriſtianus habuit copulam cum muliere infideli, poterit deinde ſibi matrimonio iungere illius ſororem factam Chriſtianam; illa enim affinitas tantùm contrahitur inter fideles. *reſol.* 22.

M

MAGISTRATVS.

QVI conuocantur ad electionem Magiſtratuum,& Officialium alicuius Reipubl. aut Ci-

uitatis, debent ante omnia præſtare iuramentum de bona electione facienda, quod iuramentum obligat ſub peccato mortali: cum ſit res magni momenti in vtilitatem, aut damnum Reipubl. Qui autem eligunt indignos, non ſolùm peccant mortaliter, ſed tenentur ad damna ex illa electione ſequuta reſarcienda. Cùm verò plures ſunt electi, & eorum nomina ſcripta in chartulis coniiciuntur in pileum, ſeu in vrnam, vt ex illis pluribus vnus aſſumatur ad hanc aut illam dignitatem, ſi Prætor, vel aliquis ex Senatoribus vnum pro alio legat, aut vnam chartulam aliis paulo grandiorem faciat, vt illam poſſit ab aliis dignoſcere, peccat mortaliter, propter iniuriam quam fraudulenter infert aliis, qui habent ius æquale ad illam dignitatem: nam eiuſmodi dignitates non ſolùm ordinantur ad Reipubl. vtilita-

tem, ſed etiam ad ciuium honorem & commodum. 2. *part. tract.* 1. *Miſcel. reſ.* 67. *pag.* 75. 76.

Metus mortis.

1 IN obſidione ciuitatis, quando alius cibus non ſuppetit, metu mortis licet carnibus humanis veſci, ſecluſo homicidio: quia quod non eſt intrinſecè malum, poteſt fieri licitum ob vitæ conſeruationem. 3. *part. tract.* 6. *Miſcel. reſ.* 48. *pag.* 143.

2 Metu mortis licet celebrare Miſſam ſine altari, calice conſecrato, aut veſtibus ſacris; modò id nõ fiat in contemptum vel odium religionis. Item metu mortis licet contrahere matrimonium cum impedimento dirimente; tamen ſine intentione conſummandi. Item metu mortis licet Sacerdoti porrigere Euchariſtiam peccatori occulto. Item conficere Sacramenta

menta in materia dubia: cùm enim hæc non sint intrinsecè mala, ob grauem metum à peccato excusantur. *ibid. pag.* 244.

O

OFFICIVM.

1 OFFICIA sæcularia ex natura rei vendi possunt, cum his tamen circumstantiis. 1. vt vendantur saltem dignis. 2. vt pretio moderato. 3. vt id fiat ob Reipubl. necessitatem, vel vtilitatem. 3. *part. tract.* 5. *res.* 108. *pag.* 220.

2 Qui habet licentiam à Rege transferendi officium in alium, potest cum expressa vel tacita eiusdem Regis licentia illud vendere. Qui tamen sine Principis licentia venderet officium, non tene

teneretur ad restitutionem pretij, modò habuerit licentiam illud transferendi. *ibid. ref.* 109. *p.* 220. 221.

Opinio probabilis.

1 Licet relicta opinione probabiliori, & tutiori, sequi probabilem, & minùs tutam: quia prudenter agit, qui ex opinione probabili operatur. 2. *part. tract.* 13. *resol.* 1. *pag.* 15. Quare ministrantes Sacramenta sequentes opinionem probabilem, & minùs tutam, non peccant contra reuerentiam quæ debetur Sacramento, sed aliquando contra charitatem. Nam ratione charitatis, quando diuersæ sunt sententiæ circa valorem Sacramenti, tenetur Sacerdos sequi tutiorem ob periculum grauissimi detrimenti inde sequuturi. *ref.* 2.

2 Iudex in sententiis ferendis potest

poteſt ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, etiam cõtra propriam opinionem, dummodò probabilitas ſit circa ius, non verò circa factum; nam circa factum tenetur ſequi probabiliorem. Hinc infertur in ſequentibus caſibus poſſe Iudicem alterutram ſententiam ſequi. 1. An vnicus iudex in criminalibus faciat ſemiplenã probationem. 2. An in ſemiprobatione poſſit iudex in cauſa capitis obligare reum ad dicendam veritatem. 3. An Iudex poſſit incarcerare delinquentem, in alieno territorio inuentum. 4. An fructus induſtriales bona fide conſumptos, poſſeſſor bonæ fidei teneatur reſtituere. 5. An filij reorum maieſtatis diuinæ, vel humanæ, geniti ante parentum crimen, afficiendi ſint pœnis iure ſtatutis in eorum filios. 6. An infantes expoſiti ad Eccleſiæ lapidem cenſendi ſint legitimi. 7. An ius

ius patronatus possit præscriptione acquiri. 8. An pater teneatur filiam naturalem dotare. 9. An tempore pestis possit fieri testamẽtum cum paucioribus testibus. 10. An collatio beneficij facta infami sit ipso iure nulla. *res.3.p.16.*

3 Potest aduocatus ex opinione probabili, relictâ probabiliori, patrocinari causæ actoris, etiam vbi agitur de sanguine, honore aut amissione omnium bonorum. *res.4.* Immó etiamsi causa sit dubia, non peccat illam suscipiens. Quia aduocatus non profert sententiam, sed solum proponit quæ videntur causæ profutura. *resol.6. pag.17.*

4 Potest aduocatus in praxi tuto amplecti opiniones Antonij Fabri, Duareni, Cuiacij, &c. similium Iurisconsultorum: si enim speculatiuè sunt veræ, quidni etiam practicè? *res.5.pag.16.17.*

5 Medicus si medicamentum habet

habet certum, tenetur ex charitate & iustitia illud applicare: sin minùs, potest sequi opinionem probabilem, probabiliori relicta; quia id applicat quod salutiferum probabiliter credit. *res.7.pag.* 17.

6 Quando sunt vtrinque rationes probabiles, non potest Rex bellum gerere contra alium Regem. *res* 8.

7 In articulo mortis tutior opinio est sequenda. *res.9.*

8 In varietate opinionum inter Superiorem, & subditum, tenetur subditus obtemperare, nisi euidenter cognoscat illicitum esse quod præcipitur. *resol.*10. *pag.* 18.

9 Confessarius tenetur sequi pœnitentis opinionem probabilem, licèt illam ipse iudicet falsam, modò inter Doctores probos probabilis habeatur. *resol.* 11.

10 Præferenda est sententia fauorabilis suscipienti, sententiæ quæ fauorabilis est sacramento. Quia sacramenta sunt instituta in fauorem fidelium. *res.* 13.

11 In his quæ pertinent ad fauorem, & vtilitatem interrogantis; potest doctor consulere iuxta aliorum probabilem opinionem, contra suam; vt illum eximat, v.g. ab obligatione restituendi. *res.* 14. *pag.* 19.

P

PAVPERTAS Religiosa.

Super Bullam Clem. VIII. de largitione munerum.

1 HÆc Bulla non videtur vsu recepta quoad pœnas,

quæ in illa continentur, neque legitur quotannis in Capitulis monasteriorum. 1. *part. tract.* 6. *resol.* 1. *pag.* 91. Neque edita est ad nouum ius, seu nouam obligationem inducendam, sed ad ius commune restituendum, ac reformandum. *resol.* 2.

2 Ad conuentus, & superiores spectat determinare quantitatem muneris largiendi, cùm Bulla non determinet. *res.* 3. *pag.* 92. In hac autem determinatione superiores attendēt conditionem dantis, & accipientis, & expendent causas ob quas datur munus, vtilitatem quæ ex illo munusculo redire poteſt, & facultatem Monasterij *resol.* 4.

3 Si Religiosus sine licentia Superioris det munusculum duorum aureorum, peccatum quidem furti admittet; non tamen incurret in pœnas Bullæ. *resol.* 5.

4 Si Monialis, seu Religiosus de

de licentia Prælati faciat amico, aut cognato corporalia, aut picturam, &c. non incurret in pœnas Bullæ, etiamsi illa sint magni valoris, quando ad illa facienda suppeditantur ab amico, aut consanguineo omnia necessaria: Vel cum antequam fiant, Prælatus dat licentiam, vt fiant pro tali amico, & suppeditentur necessaria de rebus monasterij, modò tamen ea quæ dantur de Monasterio, non sint magni valoris; quia tunc non agitur de alienanda, seu donanda re quæ sit monasterij, sed tantùm de non acquirenda, quo in casu Prælatus potest præiudicare monasterio. *ref 6.*

5 Casus in Bulla excepti extendi possunt ad alios similes: quare licet excipiat tantùm leuia quædam comestibilia, & ad deuotionem pertinentia; tamen possunt etiam dari leuiuscula al-

terius generis. *resolut. 7. pagina 93.*

6 Religiosus qui rogat amicum, vt det alteri suo nomine aliquod munus, neque peccat contra votum paupertatis, neque contra Bullam. Quia non disponit de re aliqua monasterij sine facultate Superioris.*res.8.*

7 Religiosus celebrans Missas ad intentionem amici, quem scit stipendium accipere pro illis Missis, non peccat in Bullam: non potest tamen de sola licentia Superioris donare ea quæ acquisiuit ex eleemosynis Missarum, quas sibi intra annum Religio concedit. *res.9.pag.94.*

8 Si Monialis vel Religiosus accipiat à parentibus pecunias, quarum tamen dominium parentes sibi reseruent, & illas pecunias religiosus, vel monialis dispenset in eleemosynas, & opera pia, non incurrit in pœnas Bul-

læ:

læ: quia non donat vt proprietarius, sed dispensat vt minister. *res.* 10.

9 Monialis vel regularis dans eleemosynam non peccat in Bullam quæ prohibet tantùm largitionem munerum. Non prohibet autem sumptus qui fiunt diebus festis solemnibus in musicam, in sustentationem concionatoris, & eorum qui altari ministrant; hæc enim omnia pertinēt ad commodum monasterij. *res.* 11.

10 Huius Bullæ duo sunt fines præcipui, nempe ne bona monasterij dilapidentur, & ne detur ambitionis occasio. *res.* 12. *pag.* 94. 95.

11 Esculenta & poculenta, quæ Bulla dari concedit à Religiosis, intelligenda sunt ea, quæ paucis diebus consumi possunt. *resolut.* 13.

12 Religiosi excipientes externum hospitem non occasione trā-

ſitus aut deuotionis, ſed recreationis cauſa, non incidunt in pœnas Bullæ. *reſ.*14.

13 Regulares largientes aliquod donum in remunerationem, non contraueniunt Bullæ: quia remuneratio non eſt donatio gratuita. *reſ.* 15. *pag.* 95. 96. Hæc autem remuneratio licet excedat merita, & beneficia accepta, non eſt contra Bullam: quia gratitudo id poſtulat. *reſolut.* 16.

14 Moniales cum licentia Abbatiſſæ ſeu Prælati, poſſunt aliquid dare Confeſſario vltra iuſtum pretium aſſignatum. *reſ.*17. *pag.*96.

15 Religioſus qui alteri religioſo dat munus, cum tacita licentia Superioris nullo ambitionis intuitu, non incurrit in pœnas Bullæ. Quia Bulla prohibet largitionem munerum propter metum ambitionis: igitur ſi ceſ-

ſet

ſet ambitio, ceſſabit & prohibitio. *reſ.* 18.

16 Religioſus de annuis redditibus ſibi ad ſuum vſum à Superiore conceſſis poteſt aliis donare parciùs viuendo, cum licentia ſaltem tacita ſuperioris: quia Bulla prohibet largitiones munerum, ex quibus monaſteria graue damnum patiuntur; hæc autem donatio eorum quæ religioſus parciùs viuendo largitur, non affert multum damni monaſterio; ergo. neque enim religioſus fraudat monaſterium, ſed genium ſuum. *reſ.* 19. *pag.* 97.

17 Abbatiſſa poteſt concedere Monialibus eandem licentiam donandi quam poteſt Prælatus ſuis religioſis. Immò poteſt Abbatiſſa concedere Monialibus licentiam habendi peculium, quando poteſt ſuperior religionis illam concedere, & facultatem conuertendi in proprios vſus ea quæ pro-

 priis

priis operibns acquirunt. *resol.* 22. *pag.* 57.

18 Milites D. Iacobi, Alcantaræ, &c. non includuntur in hac Bulla: nam expresſè Pontifex illos excludit; vnde colligitur hos milites eſſe verè, & propriè religioſos. *reſ.* 23. *pag.* 97. 98.

19 Poteſt Abbatiſſa aliquid dare Epiſcopo ob benedictionem, ſuſceptionem habitus, aut profeſſionem Monialis alicuius, non quidem vt pretium, aut mercedem; ſed in remunerationem; neque mens Papæ fuit tollere virtutem gratitudinis à Religioſis. *reſ.* 24. *pag.* 98.

20 Religioſus qui inſcio ſuperiore acceptis à pœnitentibus nũmis libros emit, dummodò habeat illos in cubiculo palam expoſitos, non violat paupertatem: quia quidquid hoc pacto religioſus poſſidet, ſubiicit Prælatorum voluntati, *reſ.* 26.

21 Noui

21 Nouitij non includuntur in hac Bulla ſub nomine religioſorum.*reſol.27.*

22 Religioſus qui abſque Superioris licentia accipit pecuniam, vt de ea liberè diſponat in eleemoſynas, eius nomine qui dedit, non peccat contra votum paupertatis, neque contra Bullam. Quia votum paupertatis obligat religioſum ne acceptet dominium & proprietatem alicuius rei inſcio Superiore; ſed hic religioſus non accipit dominium huius pecuniæ, ſed illam accipit nomine alieno, ſcilicet tradentis, vt det pauperibus.*reſ.29.pag.99.*100.

23 Religioſus qui ſine licentia Superioris ſolet ſumere aliqua bona monaſterij pertinentia ad cibum, & potum, vt iis ipſe vtatur actualiter, in parúa tamen quantitate, ita vt religio non multum inde capiat damni, non videtur peccare mortaliter: quia re-

ligiosi quoad vsum harum rerum tractantur vt filij: inter parentem autem & filium non censetur similis actio grauis; est tamen contra decentiam, & perfectionem status religiosi.*resol.*30.*pag.*100.

24 Religiosus cum licentia tacita clàm accipiens vel dans aliquid, non peccat mort. quia licentia tacita impedit transgressionem voti paupertatis; Superior enim dedisset licentiam accipiendi, aut dandi, si petiisset; quamuis displiceret illi modus si sciret religiosum clàm dedisse, aut accepisse. Hinc patet religiosum non violare votum paupertatis, qui Superiore cubicula visitante aliquid abscondit non metu illius amittendi; sed pudore, & verecundia; quia scit modum clàm accipiendi Superiori displicere.*res.*31.

25 Religiosi etiam post Concil. Trident. possunt habere peculium

à

à Superioribus concessum ad vsus licitos & honestos, dependenter à simplici Superiorum voluntate: quia Concil. Trident. non condit, neque inducit ius nouum; sed tantùm confirmat statuta, & ius antiquum. Hinc patet, non esse damnandam illam religionum consuetudinem, in quibus religiosi habent assignatos certos annuos redditus ad victum, & vestitum, modò non sint superflui. *res.* 32. *pag.* 101.

26 Si in aliquo speciali casu religiosus nec dissiparet bona religionis, nec vlla foret ambitionis occasio; largiendo munera, non incurreret in pœnas Bullæ: quia cessante ratione, & fine legis, cessat obligatio legis. *res.* 33.

27 Religiosus paulatim modica accipiens de rebus monasterij sine Superioris licentia, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, si modica illa furta efficiant

ciant materiam grauem: quia in vltimo illo furto, suppositis præcedentibus, incipit esse fur, & per consequens voluntariè detinet rem alienam in notabili quantitate, inuito domino: plura enim illa furta, licèt modica, coalescunt in vnum, & efficiunt materiam grauem. 1. Si inter illa furta non est magnum temporis interuallum. 2. Si fiunt in eodem genere rerum; nam si in diuersis rebus fiunt, non censentur facere vnum. 3. Si faciunt magnam quantitatem: nam eò damnum est minus, quò in plures diuiditur. 4. Si fiunt in aliis rebus quàm in esculentis, aut poculentis, quæ solent clàm accipi à famulis, & ancillis, non vt vendant, sed vt comedant: *ref.34.pag.*101.

28 Ea quantitas quæ sufficit in sæcularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furti, videtur etiam sufficere ad peccatum

tum mortale si religiosus eam vsurpet sine licentia Superioris. *res.36.pag.*103.

29 Religiosus commodans alteri aliquid ex iis rebus quæ sibi ad vsum conceduntur, non facit contra votum paupertatis, si certus est de restitutione illius. Idem dicendum de permutatione etiam cum sæcularibus, modò ea quæ permutantur, non sint deteriora. *res.*37.*&* 38.*pag.*104.

30 Religiosus sumens aliquid ex loco publico, vt eo vtatur ad aliquot dies, animo illud in eundem locum referendi, non peccat contra paupertatem. *res.*40.

31 Religiosus accipiens ab amico prandium, aut alia comestibilia exigui valoris, non violat votum paupertatis: habet enim licentiam à Prælato interpretatiuam. *res.*41.*pag.*105.

32 Religiosus potest salua paupertate accipere aliquid ab amico

co ſine licentia, animo petendi licentiam, antequam eo vtatur, modò dominium illius rei interim maneat apud dantem, & religioſus nomine illius, depoſitam habeat. *reſ.* 42.

33 Non repugnat voto paupertatis, ſi religioſus abſque ſuperioris licentia, petat ab amico, vt deponat pecunias apud aliquem, quarum dominium maneat penes deponentem cum libera reuocandi depoſiti facultate; & ſolùm habeat voluntatem habendi pecunias ad manum, ex quibus accipiat cùm indiguerit, de licentia ſuperioris. Idem dicendum ſi religioſus eas pecunias apud ſe ſeruet in depoſitum. *reſ.* 43.

34 Non videtur Superior, vi decreti Clem. VIII. poſſe reſeruare furtum quo religioſus aliquid alteri religioſo, vel ſæculari abſtulit, etiam quatenus eſt peccatum proprietatis. Quia pontifex

tifex concessit tantùm superioribus Religionū reseruationem furti de rebus monasterij, & conuentus. *res* 44. *&* 45. *pag.* 105.

R

RELIQVIÆ Sanctorum.

RELIQVIÆ alicuius Sancti recens inuentæ, sunt ab Episcopo approbandæ. Ad illam autem approbationem requiritur 1. certitudo moralis, non autem euidentia quæ nitatur infallibilibus argumentis. 2. Vt ille Sanctus sit canonizatus. Porrò licet Episcopus adhibeat in consilium Theologos, non tenetur tamen sequi eorum placita, nisi conuocet Concilium Prouinciale: tunc enim Theologorum suffragia

sunt

ſunt deciſiua. Si autem Epiſcopus extra ſuam diœceſim exiſtat, poterit abſque Epiſcopi illius loci licentia reliquias approbare, & facultatem concedere, vt in ſua diœceſi publicè proponantur venerandæ; quia hæc non eſt iuriſdictio contentioſa, ſed voluntaria. *2.part.tract.*1.*Miſcell. reſol.*51.*pag.* 64.65.

Reſtitutio.

1 QVi vi, vel fraude impedit, ne quis conſequatur hæreditatem, officium, aut beneficium, tenetur ad reſtitutionem. Secus ſi precibus, blanditiis, aut muneribus impediat: nam preces, blanditiæ, munera non repugnant libertati, atque adeo nulli fit iniuria. Item qui per mendacium impediuit Petrũ ne faceret eleemoſynam Paulo, dicens illum non eſſe pauperem, tenetur ad reſtitutionem.

tionem. 3. *part. tract.* 6. *Misc.res.* 33. *pag.* 236.

2 Qui secretum alterius cognouit per iniuriam, & eo vtitur in suum commodum, cum damno alterius, aliquando non tenetur ad restitutionem, v.g. Petrus scribit Romam ad Paulum vacare beneficium in mense Pontificis, litteræ veniunt in manus Ioannis qui eas aperit, & postea clausas reddit Paulo, sed illum præueniens impetrat beneficium; si Ioannes literas tempestiuè tradidit, probabilius est illum non teneri ad restitutionem: quia licèt fecerit iniuriam Paulo aperiendo literas, non tamen obtinendo beneficium, cùm Paulus non haberet maius ius quàm Ioannes. *ibid. pag.* 237.

3 Qui fraude, aut mendaciis impedit, ne alicuius bona ob crimen fisco addicantur, non tenetur ad restitutionem: quia hæc

proscriptio bonorum est pœna criminis; pœna autem non debetur ante sententiam saltem declaratoriam criminis, immò ante sententiam constitutiuam pœnæ. ergo. Idem dicendum de testibus, qui falso testimonio impediunt sententiam, & consequenter confiscationem. *ibidem*, *res.* 25. *pag.* 238.

4 Qui vulnerauit opificem, tenetur ad impensas in chirurgum faciendas, & ad æstimationem operarum, quibus caruit, quamdiu ex illo vulnere fuit inutilis ad opificium exercendum. Tamen pro cicatricis deformitate immò ipsius vitæ iactura, nulla pecuniæ compensatio facienda est ante Iudicis sententiam. 3. *part.* *tract.* 6. *Miscell. resolut.* 53. *pag.* 246.

5 Qui prouocatus ad pugnam descendit, non tenetur ad restitutionem damni ob vulnus, aut mortem

tem illatam: quia prouocans quantum in se erat, in id consensit. *ibidem.*

6 Non tenetur homicida restituere damnum illatum creditoribus ex morte occisi. Item maritus qui aliquem in adulterio deprehensum occidit, non tenetur in conscientia restituere damna ex morte occisi sequuta. *ibid. res.* 54. *pag.* 247.

7 Iniquus rei alienæ detentor est in continuo actuali peccato, dum voluntariè restitutionem omittit; quia semper lædit dominum rei qui non potest illa vti. Peccat autem de nouo mortaliter, quoties renouat propositum non restituendi, vel quando proponit restituere, & postea data opportunitate non restituit; per somnum verò, & naturalem inaduertentiam non ita interrumpitur illa voluntaria omissio restitutionis, vt multiplicentur peccata nu-

mero distincta. 2. *part. tract.* 2. *Miscel.res.*27.*pag.*87.

Reus.

1 SI reus legitimè interrogatus à iudice, neget veritatem metu mortis, non tenetur Confessarius ei præcipere, vt dictum suum retractet; esset enim cogere reum ad se prodendum. Neque tenetur reus manifestare veritatem iudici, non solùm quamdiu iudicium durat, nec dum sententia est pronuntiata; sed etiam quando damnatus est ad mortem. 2.*part.tract.*1. *Miscell.res.* 26.*pag.*52.

2 Reus, cuius crimen non est plenè probatum, potest etiam iuridicè interrogatus, ad mortem vitandam celare veritatem, non obstante iudicis præcepto, neque in causa capitis tantùm, sed etiam quando agitur de pœna mutilationis,

tionis, triremium, proscriptionis, & confiscationis omnium bonorum, aut aliquo alio graui dedecôre. At si delictum penè probatum sit, tenetur reus ad mentem iudicis respondere. *ibidem, res.* 27. *pag.* 52. 53.

3 Ad vitanda grauia tormenta, potest reus sibi falsum crimen imponere, licèt ob illius confessionem sciat se morte plectendum; quia vita non est digna tantis cruciatibus, & mendacium excusatur æquiuocatione in mente retenta, scilicet crimen commisisse non re, sed solùm vt fateatur iudici ad vitanda tormenta; quod verum est etiam addito iuramento. Potest etiam reus occultus prodere se iudici motiuo iustitiæ, vt peccati pœnas luat in hac vita. 3. *part. tract.* 5. *Miscell. resol.* 7. *pag.* 180.

4 Si reus iuridicè interrogatus neget delictum, ex cuius com-

missione pœnam pecuniariam teneretur soluere, non est obnoxius restitutioni: quia reus in tali casu lædit iustitiam publicam, & vindicatiuam, non autem commutatiuam, ex qua oritur obligatio restitutionis. *ibid. res.* 52. *pag.* 198.

5 Quoties factum externum contra legem excusatur à peccato propter aliquam circumstantiam, potest reus iuridicè interrogatus, illud negare sub iuramento, intelligendo de opere quod fuerit peccatum, vt si quis occidit hominem, quem putauit esse feram, vel ob iustam sui defensionem. *ibid. res.* 66. *pag.* 203.

6 Reus non tenetur iudici respondere, nisi testium depositio illi innotescat: quia ei non constat an iuridicè interrogetur: ita enim exigit ius quod quisque habet ad suam famam, & vitam tuendam. *ibid. res.* 91. *pag.* 213. 214.

7 Non

7 Non licet condemnare reum non adhibitis ſolemnitatibus prærequiſitis: cùm enim ſententia ſit publica, ferenda non eſt ex priuata notitia, ſed ex publica in iudicio habita. *ibid. reſ.* 97. Si tamen crimen eſt omnino publicum (vt cum latro deprehenditur in flagranti delicto) poteſt reus abſque citationibus condemnari; & ſi ex publico ſupplicio ſit periculum, occultè poteſt occidi. *ibid.*

8 Non tenentur rei in quocumque caſu interrogati de complicibus reſpondere, nulla infamia laborantibus. Immò ſi ſpes eſt fore vt emendentur per fraternam correctionem, præſtat illos non reuelare. *ibid. reſ.* 99. *pag.* 217.

9 Poſſunt reo ſuppeditari inſtrumenta ad effringendum carcerem, ſicut poteſt illi dari conſilium fugiendi. Reus autem qui fugit effracto carcere, non ex eo

peccat, nec ad restitutionem tenetur, quod alij captiui aperto carcere fugiant; ipse enim vtitur suo iure quod habet ad seruandam vitam. *ibid. ref. 102. pag. 218.*

10 Reus tantùm indiciatus ad torturam, non est condemnandus per sententiam iudicis ad triremes antequam audiatur, & ei detur terminus ad se defendendum; quia defensio ita competit reis de iure naturali, & diuino, vt Princeps etiam de absoluta potestate eam illis adimere non possit, nisi in aliquibus tantùm casibus à Doctoribus particulariter expressis; vt quando delictum est notorium; quando timetur tumultus populi, & aliis huiusmodi casibus, in quibus scit Princeps nullam reis competere posse defensionem, extra quos casus nunquam licet reos inauditos condemnare. Immò docent Iurisconsulti reo confesso, & conuicto, etiamsi

etiamſi non petat, concedendam eſſe defenſionem, neque aliter poſſe condemnari. Igitur quanto magis erit concedenda defenſio reo neque confeſſo, neque conuicto, ſed tantùm indiciato vt in noſtro caſu? Neque adducenda eſt vlla conſuetudo in contrarium; cùm enim defenſio competat reo de iure nàturali, conſuetudo contra ius naturale præualere non poteſt. Quod ipſi etiam Romani licet ethnici olim agnouerunt; ſic enim loquitur Prorex Feſtus Actor. cap. 25. *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei obiiciuntur. reſol.27.*

S

Sacramenta.

SACRAMENTVM Baptiſmi.

1 BAPTIZARI poſſunt filij infidelium ſeruorum, etiam antequam vendantur, exiſtentes ſub cura parentum; ipſis etiam inuitis: ſunt enim indigni illo iure naturali, ratione abuſus, ideóque nulla fit illis iniuria, dum à dominis priuantur ſuo iure iniuſtè poſſeſſo; neque habent ius, vt ipſi ſoli curam gerant ſalutis ſpiritualis filiorum. *2.part. tract.*1.*Miſc.reſ.*45.*pag.*61.

2 Qui tenet infantem in Baptiſmo, nomine alterius, non contrahit ipſe cognationem ſpiritualem; quia non ſuo, ſed alieno nomine

mine

mine tenet, ergo non eſt patrimus, ſed illius vices gerit. 3.*part. tract.*4.*reſ.*2.*pag.*77.

3 Qui ob periculum mortis baptizauit filium ſuum, adſtantibus tamen multis qui hoc facere poterant, & ſic cum ſua vxore cognationem contraxit, poteſt nihilominus ab ea petere debitum: quia nullo textu id prohibetur. *reſ.*3. *pag.*77.

4 Si quando in caſu neceſſitatis baptizandus eſt infans, laicus baptizat præſente Sacerdote, peccat mort. ſi præſente tantùm diacono vel vno ex inferioribus, peccat venial. Si autem mulier peritior ſit laico, vt ſolent eſſe obſtetrices, non peccat, ſi baptizet illo prætermiſſo. Laicus extra caſum neceſſitatis baptizans peccat mort. non tamen incurrit irregularitatem. *reſ.*4.

5 Illa quantitas aquæ ſufficiens eſt ad Baptiſmum, quæ poteſt contin

contingere corpus. Illa autem aqua eſſe poteſt ex ſale, niue, aut gelu liquefactis; eſt enim eſſentialiter aqua. Idem dicendum de aqua quæ ex olla euaporatur, & hæret in tegumento, & quæ hyeme ex lapidibus,& parietibus manat: ille tamen humor qui ex vite, aut arbore fluit, non videtur eſſe aqua, quanquam in caſu neceſſitatis,ad baptiſmum adhiberi poteſt. *reſ.5.pag.78.*

6 Si Sacerdos poſt ablutionem infantis ſtatim pronuntiet formam baptiſmi,vel finita prolatione verborum ſtatim abluat,eſt validus baptiſmus, neque repetendus: quia tunc materia & forma cenſentur moraliter concurrere,& eſſe ſimul.*reſ.6.*

7 Baptizari poſſunt filij hæreticorum, etiamſi ſub cura parentum probabiliter timeatur periculum ſubuerſionis ipſorum: fieri enim poteſt vt moriantur ante vſum

vſum rationis, aut vt aliquando catholicæ fidei dogmatis imbuantur, aut vt ignorantia inuincibili excuſentur, atque ita per baptiſmum ſaluentur. *reſol* 7.*pag.* 79.

8 Infantes ſunt quamprimùm baptizandi, quando commodè poſſunt ad Eccleſiam deferri, neque vltra octauum, aut nonum diem baptiſmus eſt differendus. *reſ.*8.

9 Rebaptizantes ſub conditione non incurrunt irregularitatem, quia in iure ponitur irregularitas propter rebaptizationem ſimpliciter. *reſ.*10.

10 Sacerdos in peccato mort. exiſtens, baptizans in caſu neceſſitatis ſine ſolemnitate, non peccat: quia non agit vt miniſter ex officio; ſed perinde ac laicus, neceſſitati infantis ſubueniens. *reſol.* 10.

11 Mutus, & manibus truncus non

non possunt simul baptizare infantem in articulo mortis, ita vt ille abluat, & hic verba proferat: quia eiusdem sacramenti vnus esse debet minister. *resol.* 11. *pag.* 80.

12 Baptismus collatus dormienti, qui illum petierat ante somnum, est validus. Idem dicendum de amente, & furioso qui dum haberet dilucida interualla, petiit baptismum. *res.* 12.

13 Attritio cognita est sufficiens dispositio in adultis ad Sacramentum baptismi. *res.* 13.

14 Cùm quis animo ficto accedit ad baptismum, fictio non remittitur per baptismum, sed per pœnitentiam in ordine ad claues, atque adeo necessariò est in Confessione sacramentali explicanda. Omnia autem peccata ante baptismum commissa, & quæ in ipsa baptismi susceptione perpetrantur, recedente fictione, de-

lentur

lentur per baptiſmum, etiamſi ficté baptizatus nullam prorſus attritionem habuiſſet in ipſo baptiſmo, ac proinde non ſunt, recedente fictione, in confeſſione explicanda. Denique peccata poſt baptiſmum commiſſa, recedente fictione, remittuntur per pœnitentiam in ordine ad claues Eccleſiæ, ideóque quamdiu in confeſſione non aperiuntur, requiritur contritio ad tollendam fictionem, & effectum baptiſmi conſequendum. *reſ.* 14. *pag.* 81.

15 Non tantùm Baptiſmus, ſed etiam cætera Sacramenta, ſi cum fictione ſuſcipiantur, illa poſtea recedente conferunt ſuum effectum. *reſ.* 15.

16 Si quis per errorem de ſacro fonte ſuſcipiat filium Petri, quem exiſtimat eſſe filium Ioannis, probabile eſt illum nullam contrahere cognationem: & reipſa maritus qui per ignorantiam leuauit filium

lium vxoris non arcetur à debiti petitione. *res.* 16.

17 Peruersa intentio ministri conferentis Baptismum, aut aliud sacramentum, non suppletur à Deo quoad gratiam: est enim de fide intentionem ministri necessariò requiri. *res.* 17.

18 In priuato baptismo vrgente necessitate, nihil est necesse adhibere patrimum: tunc enim vix parentes possunt idoneum eligere. Neque est improbanda consuetudo, qua Catholici quibusdam in locis patrimi existunt filiis hæreticorum. *res.* 18. *pag.* 82.

19 Infantem in vtero matris, si aliqua sui parte aquâ tingi potest, baptizare licet, etiamsi natiuitas propriè dicta non præcedat. 2. *part. tract.* 1. *Miscell. res.* 43. *pag.* 60. 61.

20 Mulier ad mortem damnata, si sit periculum, ne ex aliquo morbo

bo ante partum vnà cum prole moriatur, poteſt ſeruato iuris ordine priùs ſecari, ſi ſpes ſit fore vt fœtus poſſit baptizari: nihil enim fit contra ius. *ibidem, reſ.* 44. *pag.* 61.

21 Obſtetrices non tenentur ex officio ſcire neceſſaria ad Baptiſmum, ne vernaculâ quidem linguâ: nullum enim eſt ea de re præceptum Eccleſiaſticum, nec naturale; quippe obſtetrix ex vi ſui muneris tenetur tantùm cooperari natiuitati corporali infantis. *ibid reſ.* 46. *pag.* 62.

22 Si ſacerdos ita baptizet, *Ego te baptizo nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti*, omittens particulam (*In*) cum (*&*) verè conficit ſacramentum: quia illa omiſſio non eſt ſubſtantialis, neque deſtruit ſenſum verborum. Excuſarem aûtem illum qui omitteret à peccato mort. *ibid. reſ.* 47. Item, ſi Sacerdos addat formulæ Bapti-

ſmi (*In nomine B. Virginis.*) nihilominus verè confert baptiſmum, dummodo per illa verba non intendat baptizare in nomine Virginis, ſicut in nomine Patris, ſed tantùm velit opem B. Virginis implorare, vt eius interceſſio proſit baptizato. *ibidem*, *reſ.* 48. *pag.* 63.

23 Quando tenellus, & paucorum dierum infans expoſitus inuenitur, eſt ſub conditione baptizandus, niſi habeat ſchedulam baptiſmi teſtem: nam ſæpe mulierculæ, poſtquam occultè pepererunt, parum ſunt ſollicitæ de ſpirituali infantis ſalute; ſed hoc potius curant, vt ſuum partum quàm fieri poteſt, occultiſſimè à ſe abdicent. Si verò infans ex colore, & ætate videretur natus ante menſem, nec vllam haberet ſchedam baptiſmi teſtem, eſſet etiam ſub conditione baptizandus; immò etiam cum illa ſcheda

da infans inuentus expoſitus inter infideles, videtur item ſub conditione baptizandus, ne ſalutis æternæ amittendæ periculum adeatur. *reſ.* 5.

24 Puer inter Chriſtianos natus, poſtea à Turcis captus, & inter eos vt Turca educatus, ſi factus iam grandior ad Chriſtianos redeat, & Chriſtianus fieri velit, ſitque de ſuſcepto baptiſmate dubius, videtur ſub conditione baptizandus: nam licet ea ætate credatur captus ab infidelibus, in qua debuerit eſſe baptizatus; tamen hoc non conſtat niſi ex teſtibus infidelibus, qui hoc dicere potuerunt, vt hic puer poſtea à Chriſtianis captus nõ baptizaretur; neque hi teſtes ſunt fide digni, etiãſi aſſeuerarent illum eſſe baptizatum, quia præſumendi ſunt teſtimoniũ ferre in iniuriam baptiſmi quem execrantur, aut in damnum baptizandi. *reſ.* 10.

SACRAMENTVM *Confirmationis.*

25 PVeri ante ſeptennium vix ſunt confirmandi : non tamen eſt peccatum mort. confirmare infantes etiam ante vſum rationis : quia diſpoſitio non eſt ita neceſſaria ad hoc ſacramentum. *3. part. tract. 4. reſ. 19. pag. 82.* Nota eum non peccare mort. qui per negligentiam non ſuſcipit Sacramentum Confirmationis, modò abſit ſcandalum, & contemptus. *reſ. 20.*

26 Perpetuò amentes ſunt confirmandi, maximè ſi quis poſt vſum rationis incidit in amentiam : adeſt enim tunc interpretatiua hominis voluntas ſuſcipiendi tempore opportuno ſacramenta. Quia amentes non ſunt priuandi gratia huius ſacramenti. *reſolut. 20.*

27 Circa

27 Circa patrimum Confirmationis hæc ſunt notanda. 1. illum non contrahere obligationem inſtruendi confirmatum, quia id iure non eſt ſtatutum. 2. Si non confirmatus teneat alterum in hoc ſacramento, non contrahere cognationem ſpiritualem, quia non eſt legitimus ſuſceptor. 3. Suſceptorem Confirmationis debere eſſe alium ab eo qui ſuſcepit in Baptiſmo, niſi neceſſitas id non ferat. 4 Religioſos mendicantes poſſe eſſe patrimos in Sacramento Confirmationis, & Baptiſmi: quia nomine monachorum excluduntur tantùm ij qui ſolitudinem colunt. *reſol* 21. *pag.* 82. 83.

28 Neceſſarium eſt neceſſitate ſacramenti vnctionem confirmationis ab Epiſcopo fieri manu immediatè; ſi tamen Epiſcopus vngeret alio digito quàm pollice, nolim illum damnare peccati mortalis. *reſ.* 21.

 29 Ad

29 Ad confirmationem requiritur chriſma ab Epiſcopo conſecratum, ex oleo, & balſamo compoſitum. Quia tamen probabile eſt oleum ſufficere, ſi hoc ſacramentum miniſtratur cum oleo ſimplici, non eſt iterandum, niſi ſub conditione. *reſ.* 23.

30 Epiſcopus poteſt confirmare eum, qui offert literas dimiſſorias ſui Epiſcopi vt ordinetur, ſi non eſt confirmatus: quia qui concedit finem, concedit neceſſaria ad finem: at confirmatio præmittenda eſt ordinibus, ergo. Epiſcopus tamen ordinans aliquem non confirmatum, non peccat mortaliter. Idem dicendum de eo, qui accedit ad Ordines non confirmatus. *reſ.* 24. *pag.* 84.

31 Verba formæ huius Sacramenti ſunt hæc: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Notandum expreſſam

pressam sanctæ Trinitatis inuocationem esse necessariam, & essentialem ; quia Confirmatio refertur ad profitendam fidem in Baptismo acceptam ; essentialem item esse expressionem signi Crucis , vt vera sint verba formæ. *res.* 27.*pag.* 84.

SACRAMENTVM Eucharistiæ.

32 QVi dubitat an sit ieiunus , non tenetur abstinere à Communione:quia lex Ecclesiastica de ieiunio communicaturis seruando non videtur tam arctè constringere conscientias in casu dubio. *ibid. res.*29. *pag.* 85. Qui in pollutionem voluntariam, vel fornicationem incidit , potest eodem die , ritè confessus , Eucharistiam sumere : nam Conc. Trid.ait *seß.* 13. c. 7.illum dignè Eucharistiam sumere , qui nullius

peccati mort. est sibi conscius. *ref.* 30. *pag.* 85. 86.

33 Qui accedit ad communionem voluntariè distractus, videtur non peccare venialiter: cùm enim communio sit manducatio, non requirit sub præcepto attentionem, quemadmodum requirit oratio, quia est loquutio cum Deo; est autem irreuerentia loqui cum Deo sine attentione. *ref.* 31.

34. Qui suscipit Eucharistiam in peccato mortali, vnum tantùm peccatum committit sacrilegij contra dignam Sacramenti sumptionem; neque omissio confessionis ante communionem, constituit peccatum distinctum; quia confessio ordinatur ad dignam Eucharistiæ sumptionem; quando autem vnum est propter aliud, omissio vtriusque est vnicum tantùm peccatum. *ref.* 31. *pag.* 87.

35 Si diuersa sint horologia, &

& vnum ſonuerit hora 12.mediæ noctis, aliud non ſonuerit, poteſt qui tunc comedit, communicare die ſequenti. Sin vnum tantùm ſit horologium, ſi quis bibat vbi cœpit ſonare 12. non poterit die ſequenti communicare;quia ad primum horæ pulſum iam eſt hora expleta,& horologium eſt tantum index. Vnde infertur eum qui comedit, cùm audit primum pulſum horæ 12. debere eiicere ex ore buccellam, ſi die ſequenti Euchariſtiam ſumere velit. *reſol.* 36.

36 Si infirmus ſex aut octo diebus antequam in mortis periculum incideret, communicauerit, conſulendum quidem eſt ei, vt iterum Euchariſtiam per modum viatici accipiat; tamen ad id non obligatur; cum præceptum de Euchariſtia ante mortem ſumenda iam impleuerit. *reſol.* 40. *pag.* 89.

37 Qui in Paſchate tranſgreſſus præceptum non communicauit, non peccat iterum mortaliter, ſi poſtea non communicet; ſemel enim tantùm id præceptum obligat, ſcilicet in Paſchate. *reſ.* 41.

38 Qui præuidet ſe in Paſchate à ſacra communione impeditum iri, non tenetur tempus præſcriptum præuenire, dummodo intra eum annum ſemel communicauerit. *reſ.* 42.

39 Qui in Paſchate communicauit indignè, ſatisfecit præcepto Eccleſiæ: quia Eccleſia nihil aliud præcipit, quàm vt in Paſchate corpus Domini ſumatur; ergo licet communicans indignè, ſacrilegium committat, tamen quoad ſubſtantiam implet præceptum Eccleſiæ: nam qui præcipit aliquem actum, præcipit ſubſtantiam eius, non autem modum; niſi modus ſit de eſſentia actus ſecundùm ſe, vel prout cadit ſub

legem (qua ratione attentio est de essentia orationis :) at verò suscipere Eucharistiam cum dispositione debita, non est modus essentialis sacramentali communioni; qui enim indignè communicat, sacramentaliter cõmunicat. Quare indignè communicans non incurrit censuras latas contra huius præcepti Ecclesiastici transgressores. *res.*41.*pag.*89.90.

40 Si Eucharistia ob mortis periculum sumpta sit à non ieiuno, potest iterum itá accipi sexto pòst die. Immò si quis assuetus frequenter communicare, aut sacrificare, propter deuotionem, ac desiderium ægrè abstineat, permitti ipsi potest, vt altero statim die communicet non ieiunus, dummodò mortis periculum instare videatur. *res.*44.*pag.*90.

41 Si Sacerdos ex confessione sciat aliquod delictum alicuius non emendatum, non debet illi

Eucha

Euchariſtiam occultè petenti denegare: quia finita confeſſione finitur Sacramentum, cuius ſigillum ita obligat, vt ne minimo quidem ſigno, aut nutu poſſit Sacerdos illi peccata exprobrare, quantumuis occultè; ergo neque Euchariſtiam occultè denegare, cùm illa negatio ſit tacita quædam exprobratio. *reſol.*40.*pag.*90. 91.

42 Si quis etiam laicus in mortis articulo conſtitutus, miniſtrum idoneum non habeat à quo Euchariſtiam ſumat, nihil obſtare videtur, quominus ſeipſum communicare poſſit; exemplo Mariæ Scotiæ Reginæ, quæ in Anglia martyrium ſubitura, ſacramentum Euchariſtiæ, quod ſecum habebat, propriis manibus ſumpſit. Notandum ſi Sacerdos ſolemni feſto ſacrificare non poſſit, ſcandalo ceſſante, eum poſſe ſeipſum communicare, ſi alius Sacerdos non

non adsit. *res.* 47. *pag.* 91.

43 Qui aliis ministrat Eucharistiam in peccato mortali, non peccat mortaliter, sed tantùm venialiter, quia est tantùm causa applicans. 1. *part. tract.* 3. *Miscell. res.* 13. *pag.* 104.

44 Potest Eucharistia ministrari reo eo ipso die quo est vltimo supplicio afficiendus, etiamsi non sit ieiunus. 3. *part. tract.* 6. *Misc. res.* 59. *pag.* 248.

45 Pueri priùs sunt capaces sacramenti Pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ: nam minor rationis vsus, & discretio requiritur ad confitendum, quàm ad communicandum. Nonnulli tamen docent ad lucrandum Iubilæum pueros qui possunt confiteri, esse etiam ad Eucharistiam admittendos; quando enim sunt doli capaces, atque adeo peccati mortalis; tunc obligantur ad præceptum de confessione, & per consequens de

com

communione etiam ſeptimo ætatis anno. *ibid.reſ.70.pag.252.*

46 Accedere ad Euchariſtiam ipſo die habitæ copulæ, eſt contra reuerentiam Sacramenti; ideoque minus expedit coniugatis. *ibid. reſ.71.pag.253.*

SACRAMENTVM *Pœnitentiæ.*

47. POenitens nolens acceptare pœnitentiam ſibi à Confeſſario iniunctam, non eſt abſoluendus; debet enim illam acceptare ſub onere peccati mortalis. *3.part. tract.4. reſ.51.pag.92.* & *2. part. tract.1. Miſcel. reſol.52. pag. 65.*

48 Non eſt peccatum inſpirationibus diuinis ad conſilia exhortantibus non reſpondere; dùm enim ſequi conſilia non ſit ſub præcepto, ſed ſub conſilio, nec etiam non reſpondere vocationi ducenti

ducenti ad consilia, erit peccatum veniale; quare non est necesse hos defectus in confessione aperire. Obsistere autem inspirationi diuinæ, quando offertur occasio violandi aliquod præceptum, non est peccatum distinctum à transgressione ipsius præcepti. 3.*part.tract.*4.*resol.* 52.*p.*92.*93.*

49 Pœnitens potest auctoritate propria commutare pœnitentiam sibi à Confessario impositam, in aliud opus euidenter melius; offert enim abundantiorem solutionem pro debito. Potest etiam quilibet Confessarius ex iusta causa commutare pœnitentiam, etiamsi fuerit ab alio data ob peccata reseruata, etiam non repetita priori confessione, modò id faciat in confessione, & non extra, nisi ab eodem Confessario pœnitentia commutaretur; poterit enim ille commutare pœnitentiam

tentiam extra confessionem, si ad summum intra hebdomadam pœnitens redeat; quia in hoc casu censetur adhuc idem iudicium. *ibid.resl.53.pag.93. & 2.part.tract. 1.Miscel.resl.53.pag.65.*

50 Potest Confessarius imponere pœnitenti in satisfactionem sacramentalem, opus pœnale applicandum pro animabus Purgatorij, vel orationes pro illis recitandas. Licet enim satisfactio sacramentalis, vt habet effectum ex opere operato, non possit pro alio offerri, vel alteri applicari, quia effectus Sacramenti ex institutione Christi datur recipienti Sacramentum; tamen illa satisfactio quatenus est opus pœnale ex opere operantis, potest pro altero offerri, & alteri applicari, ideoque potest opus pœnale imponi pœnitenti in satisfactionem sacramentalem, cum obligatione vt illud opus applicet animabus Purgatorij.

rij. 3. *part.tract.* 4. *resol.* 54. *pag.* 94.

51 Qui habuit septem Psalmos pro pœnitentia recitandos per aliquot sextas ferias, flexis genibus, coram Crucifixo, satisfacit recitando sine illis circumstantiis; sunt enim quid accidentale. *ibid. resol.* 55.

52 Qui ministrat sacramenta Pœnitentiæ, Baptismi, &c. cum excommunicatione minori, peccat venialiter. *ibid.res.* 56.

53 In periculo mortis potest quilibet Sacerdos absoluere à censuris, & reseruatis; etiamsi sit suspensus, irregularis, excommunicatus, degradatus, immò etiam hæreticus, cessante periculo peruersionis. Idque intelligendum non tantùm in graui morbo, sed etiam in probabili mortis periculo, quod quis adit etiam sine necessitate, sed propria sponte, v. g. in bello iusto, longa maris

nauigatione, &c. *resolut.57.pag.* 95.

54 Sacerdos non poteſt abſol-uere pœnitentem, qui habet pec-cata reſeruata, cum onere, vt ea ſola Superiori poſtea confiteatur. *reſ.*58.

55 Poteſt quis ſuſcipere ſacra-mentum Pœnitentiæ, vel aliud à miniſtro malo, ſi ab Eccleſia tole-ratur, & paratus eſt ad miniſtran-dum: quia licet vti peccato alie-no in proprium commodum, mo-dò non inducatur ad peccandum: hic autem Sacerdos non induci-tur ab vllo, ſed ſponte paratus eſt. *reſ.*59.

56 Si quis poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem dubius manet, an mortaliter peccauerit, & in neutram partem inclinat, debet peccatum illud ſub dubio confiteri. *reſ.*60.*pag.*96.

57 Aqua luſtralis, ſeu benedi-cta, ex opere operato delet pecca-ta

ta venialia: illa enim aqua eleuatur à Deo, vt verè, & realiter tangat animam contactu virtuali. *res.* 61.

58 Qui non vult Confessario manifestare se aliquod peccatum commisisse ab vltima confessione, potest illud confiteri inter alia peccata priùs confessa, quando scilicet facit confessionem generalem. *res.* 62.

59 Potest dari confessio informis defectu doloris, vel examinis, valida tamen: in quo casu Confessarij excusare possunt pœnitentem à reiteratione confessionis. *res* 65. *pag.* 97.

60 Qui solùm meminit se peccasse mortaliter, speciem autem peccati non recordatur, potest illud tantùm in genere confiteri: est enim sufficiens materia absolutionis. *res.* 66.

61 Vt possit Sacerdos validè confessiones audire, sufficit rati-

habitio de præsenti : est enim consensus tacitus, & interpretatiuus, qui sufficit. *resolut.68. pag.* 92.

62 Qui præuidet quando obligabit confessio, sibi non fore copiam Confessarij, debet præuenire tempus. *res.69.*

63 In sacramento Pœnitentiæ, satisfactio causat gratiam ex opere operato; neque peccat mortaliter qui illam implet in peccato mortali; non enim ponit obicem effectui essentiali Sacramenti, quem pœnitens consequitur in instanti terminatiuo prolationis verborum, (*Ego te absoluo*, &c.) sed tantùm obstat perfectioni & integritati eiusdem effectus. *res.* 70. *pag.* 100.

64 Non quælibet mulieres parturientes, & partus dolores iam iam sentientes, censentur positæ in periculo mortis, ita vt possint à censuris, & reseruatis absolui : sed illæ

illæ tantùm, quæ nunquam pepererunt, vel quæ difficiles, & periculosos partus habere solent. *res.*72.
65 Confessarius absoluens à casibus Episcopo reseruatis, sine prætextu alicuius priuilegij, incidit in censuram & pœnas Decreti Clem. VIII. nisi excuset ignorantia, aut spes ratihabitionis. Non tamen incurreret in has pœnas Religiosus, qui sine facultate absolueret à casu in Religione reseruato. Porrò hic Sacerdos qui incidit in excommunicationem absoluendo à reseruatis, absque Episcopi facultate, potest ab ipso Episcopo absolui. *res.* 73.*pag.* 100.101.
66 Si Superior absoluit subditum à reseruatis tantùm, tenetur postea illa ipsa cum aliis non reseruatis inferiori Sacerdoti confiteri.*res.*74.*pag.*101.
67 Superior, aut quiuis alius

non poteſt denegare ſuffragium alicui ob defectum, quem nouit ſolùm per confeſſionem, quando ſecreta ſunt ſuffragia : quia non licet vti ſcientia per confeſſionem acquiſita in iis quæ pœnitentem grauare poſſunt ; eſt enim fugiendum quidquid illud Sacramentum reddere poteſt odioſum ; at nihil poteſt illud reddere magis odioſum hominibus quàm ſi intelligant ſibi poſſe negari ſuffragia ad communes honores ob notitiam confeſſionis : & contraria ſentẽtia eſt admodum periculoſa. Si tamen is de quo eligendo agitur, habeat alios defectus, putà ætatis, ſcientiæ, &c. non tenetur Confeſſarius ei dare ſuffragium, quem ex confeſſione nouit indignum. *reſolut.* 76. *pag.* 101. 102.

68 Qui ad linteum altaris adſtat paratus communicare, ſi recordetur alicuius peccati mort. in confeſſio

confeſſione per obliuionem omiſſi, non tenetur ante communionem redire ad Confeſſarium; excuſatur enim propter reuerentiam ſacramenti. Idem dicendum de ſacerdote ſtante ad altare; ſufficit enim tunc elicere contritionem, cum propoſito poſtea confitendi. *reſ.* 77.*pag.*102.

69 Si quis in Paſchate non poteſt confiteri peccata mortalia propter aliquod periculum, vel infamiam, non tenetur venialia confiteri ad implendum præceptum annuæ confeſſionis. *reſ.* 75. *pag.*101.

70 Innodatus aliqua excommunicatione, etiam reſeruata, ſi bona fide confiteatur peccata non reſeruata cum reſeruatis, validè abſoluitur: quia excommunicatio non irritat abſolutionem; niſi quis excommunicatus ſciens vellet ſacramentum ſuſcipere. Quod verum eſt, etiamſi Confeſſarius

ſciens peccata habere annexam excommunicationem ; tamen ex malitia pœnitentem abſoluat, licèt non poſſit. *reſolut.* 78. *pag.* 103.

71 Si proprius Paſtor iniuſtè deneget alicui licentiam confitendi peccata alteri ſacerdoti ; tamen confeſſio alteri facta eſt valida. St quis tamen in Paſchate non poteſt ſine periculo ſalutis & famæ, proprio Parocho confiteri, & non vult Parochus illi concedere facultatem alteri confitendi, non violat præceptum Eccleſiæ, ſi non confiteatur; ſed eliciendo actum contritionis poteſt ad Euchariſtiam accedere. *reſ.* 79.

72 Si Confeſſarius intelligat pœnitentem laborare ignorantia inuincibili, vel ſaltem moraliter non culpabili, & nullum ſperet fructum ex admonitione, ſed potiùs animi inquietudinem, rixas, vel ſcandala, diſſimulare debet; &

& cauere, ne dum à pœnitente interrogatur, plus reſpondeat quàm interrogatur: ſic enim, cùm admonitio nihil ſit profutura, ignorantia excuſabit à peccato. *reſ.* 80. *pag.* 103. 104.

73 Qui in Paſchate non poteſt Euchariſtiam ſumere, non tenetur confiteri, ſi intra anni decurſum confeſſus eſt: nam præceptum Eccleſiæ non obligat ad confeſſionem in Paſchate, niſi propter communionem. *reſ.* 81. *pag.* 104.

74 Poteſt Confeſſarius imponere pœnitentiam omnino liberam faciendam arbitrio pœnitentis; neque requiritur ſemper, vt iniungat aliquod opus in particulari, præſertim perſonis ſpiritualibus; ſed ſufficit ſi dicat: *Impono tibi pro pœnitentia, quidquid hodie, vel hac hebdomada boni feceris, vel mali paſſus fueris.* Poteſt etiam pœnitentia, de licentia Confeſſarij, iuſtam ob

causam per alium impleri. *resol.* 84.

75 Potest aliquando opus alioquin præceptum iniungi in pœnitentiam. Si tamen Sacerdos iniungit pœnitenti ieiunium absolutè, non satisfacit pœnitens per ieiunium ab Ecclesia indictum; nisi aliud ex verbis confessarij colligi possit. *resolut.* 84. *pag.* 105.

76 Satisfactio sacramentalis in peccato facta, reuiuiscit cùm homo resurgit per contritionem: cùm enim satisfactio sit pars integrans sacramenti pœnitentiæ, recedente fictione consequetur suum effectum non tantùm quoad gratiam, sed etiam quoad remissionem pœnæ. *res.* 85.

77 Qui accedit ad Confessarium, generalem confessionem facturus, non tenetur aperire omnia peccata mortalia. *resol.* 86.

78 Quando Confeſſarius commiſit aliquem defectum in confeſſione, quia v. g. non obligauit pœnitentem ad reſtitutionem, non poteſt cum illo loqui de ſupradicto defectu ſine ipſius licentia, quam ſi negat, culpa in pœnitentem transfertur. Neque extra cõfeſſionem licet agere cum pœnitente de errore qui interuenit in confeſſione corrigendo ſine eiuſdem facultate. *reſolut.* 87. *pag.* 106.

79 Peccator qui diu fuit in malo ſtatu, & conſuetudine inueterata alicuius peccati; ita vt non poſſit deſignare numerum, ſatisfaciet declarando tempus quo vixit in tali ſtatu. Tamen meretrix debet præcipuas ſpecies peccatorum enumerare, vt ſi peccauit cum Sacerdote, cum coniugato, cum affine, vel conſanguineo, &c. Hinc infertur non eſſe cogendos ruſticos ad priores confeſſiones

repeten

repetendas factas sine specificatione, numero, & diligentia. *res.* 87.

80 Qui sæpius vouit, aut iurauit, se aliquid facturum, violando votum, aut iuramentum, vnum tantum peccatum committit, neque hæc circumstantia est in confessione aperienda. *res.*90.

81 Qui confessus est de peccato vt dubio, si postea comperiat se illud peccatum commisisse, tenetur illud iterum in confessione aperire vt certum. *resol.*91.

82 Qui non adimplet pœnitentiam tempore à Confessario præfixo, ex negligentia, peccat venialiter; sin iusta de causa differat, non peccat. *res.*92.*pag.*107.

83 Si æger versetur in probabili mortis periculo, & monitus à medico nolit confiteri, non est propterea post tertium diem à medico deserendus. Immò quando creditur certò monitionem nihil

profutu

profuturam ob ægri obſtinationem, nec medicus tenetur eum admonere, nec deſerere: nam in hoc caſu non obligat Conſtitutio Pij V. qua præcipit, ne medici vltra tertium diem viſitent ægrotum, niſi de illius confeſſione conſtet. *reſ.*93.

84 Quando repetitur ſæpiùs eadem peccandi voluntas, ſunt plura numero peccata in confeſſione exprimenda, ſeu interrupta fuerit illa voluntas naturali obliuione, ſeu contraria voluntate. *reſ.*95. *pag.*108.

85 Qui mentitur ſe veniale peccatum admiſiſſe, quod eſt tota materia confeſſionis, peccat mortaliter; quia mendacium illud efficit ſacramentum nullum, cùm nulla materia ſubiiciatur abſolutioni. *reſ.*96. *pag.*109.

86 Ne confeſſarij ſcrupulis angantur in pœnitentiis imponendis, poſt abſolutionem addant illam

lam clausulam (*quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum:*) homines enim vt plurimum bona multa faciunt, & mala plurima sustinent, quæ sic applicata, rationem habent satisfactionis sacramentalis. *res.*97.

87 Infirmus in articulo mortis positus, non tenetur in rigore, & ex præcepto elicere actum contritionis de omnibus peccatis mortalibus quæ commisit in vita; sed sufficit confessio cum attritione cognita:nam Conc. Trid. docet ad salutem, & gratiam à Deo impetrandam sufficere attritionem cognitam cum pœnitentiæ sacramento: optimum tamen factu reor in articulo mortis excitare perfectum dolorem de peccatis ob amorem Dei. *res.* 98. *pag.* 109.110.

88 Cautè admodum se gerere debent Confessarij, quando de quibus[-]

quibuſdam peccatis interrogant pœnitentes, maximè fœminas: præſtat enim aliquando Sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis cognoſcere, quàm vel illi, vel ſibi ſcandalum creare. *reſ.99. pag.*100.

89 Qui pœnitentiam leuem ſibi pro peccatis iniunctã culpabiliter omittit, non peccat mort. Immò etſi pœnitentia ſit grauis, ſed ob venialia tantùm peccata iniuncta, eius omiſſio erit tantum peccatum ven. niſi ex illa omiſſione ſequatur periculum mortaliter peccandi. *reſ.* 102. *pag.* 111.

90 Confeſſarius ſæcularis vnius diœceſis poteſt abſoluere pœnitentem alterius diœceſis à caſibus reſeruatis, modò id non fiat in fraudem proprij Ordinarij. *reſol.* 103.

91 Qui habet caſum reſeruatum cum excommunicatione annexa,

nexa, poteſt vrgente neceſſitate celebrare ſine præuia confeſſione facta inferiori Sacerdoti, eliciendo actum contritionis. Idem dicendum de laico. *reſ.*104.

92 Quando Confeſſarius ſcit certò pœnitẽtem commiſiſſe peccatum, & non eſſe confeſſum, non debet illum abſoluere: quia non eſt applicanda forma ſacramenti ſubiecto non diſpoſito. *reſ.*105. *pag.*112.

93 Qui ſingulis diebus ex deuotione recitat officium B. Virginis, ſi habuit pœnitentiam recitandi quotidie per annum coronam eiuſdem B. Virginis, non ſatisfacit huic pœnitentiæ per recitationem ſupradicti officij; neque enim poteſt pœnitenti conſtare, an per illam recitationem ſatisfaciat pœnæ, cui ſatisfacit opus per pœnitentiam iniunctum. *reſ.* 106.

94 Nullus poſt mediocrem adhibitam

hibitam in discussione conscientiæ diligentiam in ordine ad confessionem, tenetur vlteriùs de anteacta vita cogitare; quòd si quid occurrat quod non videatur explicatum in confessione, poterit sibi persuadere illud iam fuisse memoratum. *res.* 107.

95 Qui per ignorantiam omisit aliquod peccatum in confessione, eò quod putaret non esse tale; si postea sciuerit illud esse mortale, non tenetur repetere priorem cõfessionem, sed tantùm confiteri quod fuit omissum. Item, si post confessionem aliquam inualidam fecit quis debitè alias intermedias; in quibus tamen ex obliuione non est confessus defectum inualidæ confessionis, non est opus omnes priores confessiones reiterare, sed sufficit solum defectum nullitatis & peccata in ea confessione explicata aperire; quia confessiones intermediæ validæ fue-

cunt. *resolut.* 168. *pagina* 103.

96 Si pœnitens bona fide sua peccata aperuit, & culpa in solo Confessario resedit ob surditatem, somnolentiam, aut animi euagationem, absolutio data valida est, & fructuosa: si tamen pœnitens postea cognoscat vnum vel plura peccata mort. non fuisse à Confessario intellecta, debet ea sola cum aliis postea commissis in sequenti confessione iterum explicare. *res.* 109

97 Non Potest Parochus concedere facultatem simplici Sacerdoti ad excipiendas suorum confessiones; sed tantùm approbatis à quocumque tandem Episcopo: quare si approbatus in vna diœcesi ad aliam se transferat, poterit ibi à Parocho, seu Superiore Regularium assumi ad suorum confessiones audiendas absque noua approbatione Ordinarij; neque hi Confessarij sunt ab Ordinario puniendi.

di.*res.* 110,*pag.* 113.114.

98 Si pœnitens absque necessitate manifestauit complicem sui peccati in confessione, tenetur Confessarius complicis peccatum occultare sub sigillo confessionis: quia peccatum complicis est ita coniunctum cum peccato pœnitentis, vt vix vnum sine altero cognosci possit. *res.* 111. *pag.* 114.

99 Qui inuenit chartam, in qua scripta erant alicuius peccata, tenetur sub sigillo illa abscondere, siue iam confessio facta sit, siue adhuc facienda: quia illa charta est quasi ipsa confessio scripta, ac proinde sacro sigillo obsignata. *res.* 112.

100 Non licet Confessario interrogare pœnitentem de complice, in ordine ad ipsius correctionem: quia finis sacramenti Pœnitentiæ est iustificatio pœnitentis, non emendatio complicis. Contraria verò sententia est per-

nicioſa,& multum derogat ſigillo confeſſionis. *reſ.*13.*pag.*115.

101 Scandalum actiuum, quando non eſt ſpeciale peccatum, eſt circumſtantia adeo aggrauans, vt ſit in confeſſione explicanda: nam qui induxit mulierem ad peccandum, non ſatisfacit integritati confeſſionis, ſi dicat: *Peccaui cum quadam muliere*, niſi addat: *Et illam ad peccandum induxi.* Explicandus eſt etiam numerus perſonarum, quibus datum eſt ſcandalum etiam vnico peccato. *reſ.*114.

102 Poteſt Confeſſarius iniungere pœnitenti pro pœnitentia, vt à ſacra Communione abſtineat. *reſ.* 115. *pag.* 115. 116.

103 Quando quis confitetur peccata olim confeſſa, tenetur elicere nouum dolorem: debet enim ſemper adeſſe nouum motiuum erubeſcentiæ, & doloris, quoties quis confitetur. *reſ.* 116.

104 Probabilius eſt ad remiſſionem peccatorum venialium extra Sacramentum Pœnitentiæ in iuſtis ſufficere attritionem cum propoſito illa vitandi in poſterum. Notandum ſi quis confiteatur multa peccata venialia, ſufficere ad validitatem Sacramenti, ſi doleat tantùm de alio cum propoſito illud vitandi; quia vnum peccatum veniale remitti poteſt ſine alio. *reſolut.* 117. *pag.* 117.

105 Moriens abſente Confeſſario, non tenetur reuocare in memoriam omnia peccata ſingillatim, vt de illis eliciat actum contritionis, ſed ſufficit vt illa in vniuerſum deteſtatur. *reſ.* 118.

106 Ad effectum ſacramenti Pœnitentiæ conſequendum, ſufficit implicitum propoſitum non peccandi in poſterum, quod in ipſa deteſtatione peccatorum virtualiter continetur: quare ſi quis

occupatus vel in conſcientia examinanda, vel in vita anteacta deteſtanda, vel in Dei miſericordia imploranda, vel in amore Dei excitando, & non cogitet actu dicens, *volo abſtinere à peccatis*; ſed bona fide eat ad confeſſionem, verè eſt contritus, quia in illis actibus ſuprà memoratis includitur ſufficiens propoſitum vitæ emendandæ. *reſ.* 119. *pag.* 117. 118.

107 Probabile eſt per confeſſionem inualidam ex culpa pœnitentis, præceptum annuæ confeſſionis impleri, atque adeò vitari pœnam excommunicationis à Conſtitutionibus Epiſcopalibus impoſitam tranſgredientibus hoc præceptum: quia Eccleſia ſolum externum confeſſionis actum poteſt præcipere, de occulto autem defectu non iudicat. *reſ.* 120. *pag.* 118.

108 Qui bona fide confeſſus eſt

est Sacerdoti valde ignoranti, non tenetur postea confessionem iterare. Secùs autem si de industria quæsiuit confessarium & ignarum, & insufficientem ad eius confessionem excipiendam. *resolut.* 121.

109 Non videtur iteranda confessio facta Confessario intruso, qui cum falsis litteris se gerit pro Parocho: quia error communis videtur conferre iurisdictionem. Item si pœnitens sciat Confessarium non habere iurisdictionem, quòd ipse Confessarius, & populus ignorant, poterit pœnitens ab illo petere absolutionem, quæ validè conferetur. *res.* 122.

110 Si Confessarius ne in confuso quidem statum pœnitentis recordetur post confessionem iampridem auditam, quæ fuit inualida, non tenetur pœnitens superiora peccata repetere; sed potest Confessarius ex cognitione,

 quam

quam hausit ex proxima confessione, illum validè absoluere, vtpote iam bene dispositum; tamen peccabit Confessarius, quia non potest rectè fungi suo munere in pœnitentia imponenda. *res.* 123. *pag.* 119.

111 Qui in confessione Paschaeis post adhibitam sufficientem diligentiam, omisit aliqua peccata per obliuionem, & paulò post confessionem redit in memoriam illorum, potest illa differre in sequentem annum; quia Ecclesia obligat tantùm ad confitenda peccata commissa illo anno quæ memoriæ occurrunt, post adhibitam sufficientem diligentiam. *res.* 124.

112 Si quis in Paschate habeat peccata mortalia, quæ ex iusta causa non debeat Confessario aperire, non tenetur venialia confiteri: quia nulla lex obligat fideles ad peccatorum venialium confes-

confeſſionem. *reſ.*125.

113 Qui ſibi non eſt conſcius peccati mortalis, non tenetur confiteri pro Iubilæo conſequendo: quia iam eſt in ſtatu gratiæ, nec habet neceſſariam materiam confeſſionis.*reſ.*126.*pag.*120.

114 Si quis prohibitus verecundia, non auderet peccata ore confiteri, non peccaret mortaliter, ſi per ſcriptum præſenti Sacerdoti confiteretur. Item ſi ægrotus præ gutturis & faucium dolore, ægrè poſſet ore confiteri, poſſet autem facilius per ſchedam peccata aperire, omnino eſſet abſoluendus; quia conſuetudo ore proprio confitendi, in hoc caſu tam grauiter non obligat. *reſ.*127.

115 Neque in Paſchate, neque in articulo mortis tenetur per ſcriptum confiteri, qui aliter non poteſt: quia hic confitendi modus eſt inuſitatus, nec periculo va-

cat. *ref.* 128. Per interpretem autem confiteri, præcepto Ecclesiæ nemo tenetur: est enim aliquo modo publica confessio. At si ægrotus probabiliter dubitat, an habeat contritionem, tunc tenetur ex charitate per interpretem confiteri, si aliter nequit, ne se exponat periculo damnationis: potest tamen subticere peccata maioris infamiæ; immò, vt nonnulli, censent, potest confiteri aliqua peccata venialia in specie, & generatim omnia mortalia. Tamen in eo statu, tutius est omnia peccata confiteri; quia interpres tenetur seruare sigillum. *ref.* 129. *pag.* 120. 121.

116 Probabilius est eum qui non impleuit præceptum annuæ confessionis, teneri primo quoque tempore confiteri. Tamen negatiua sententia est etiam probabilis: quia præceptum affirmatiuum obligans pro certo aliquo, &

& determinato tempore, eo transacto non obligat amplius, vt præceptum ieiunij, Missæ audiendæ, diuini officij recitandi, &c. *res.* 130. *pag.* 121.

117 Qui duos habet Confessarios, quorum alteri confitetur mortalia, alteri venialia, non peccat: est enim confessio integra: neque est vera hypocrisis, neque mendacium, licèt velit conseruare bonam famam apud Confessarium. Per accidens tamen posset esse peccatum mortale, si ob hanc causam pœnitens maneret in occasione peccati mortalis. *res.* 132. *pag.* 122.

118 Probabile est absolutionem à laico, homini moribundo datam, validam esse, ita vt in loco sacro sepeliri possit. Immò nonnulli DD. censent, hominem baptizatum etiam hæreticum, & præcisum in articulo mortis absoluere posse ab excommunicatione. Negat iua

gatiua tamen sententia est probabilior: quia solis Sacerdotibus concessa est facultas absoluendi. Non tamen est dubium, quin possit laicus in articulo mortis quando non adest Sacerdos, applicare moribundo indulgentias Bullæ Cruciatæ.*res.* 133.

119 Si pœnitens post narrata peccata eliciat actum doloris, & dicat: *Doleo de peccatis narratis*, & petat absolutionem; hæc sola verba sufficiunt ad veram rationem confessionis, quæ est pars essentialis sacramenti Pœnitentiæ. *res.* 134.

120 Qui per vnum annum omisit confessionem, quō diutius illam differt sine causa, eò magis peccatum auget; non tamen peccat toties quoties data opportunitate non confitetur. *resol.* 135. *pag.* 123.

121 Concubitus viri Christiani cum infideli est circumstantia in confes-

confeſſione aperienda;quia mutat ſpeciem. Non tamen damno contrariam ſententiam aſſerentium non eſſe peccatum diſtinctum à ſimplici fornicatione. *reſol.* 138. *pag.*124.

122 Vicarius Epiſcopi qui habet poteſtatem ſubdelegandi, poteſt abſolui ab alio, ſi incidit in caſum reſeruatum à ſuo Epiſcopo: nam ſubdelegatus à Vicario fungitur vice primi delegantis;& perinde eſt ac ſi ipſe primò delegans delegaſſet. Item Epiſcopus ſi in caſum incidit reſeruatum Summo Pontifici, à quo ipſe poteſt alios abſoluere, delegando eam facultatem alteri, ab eo abſolui poteſt. *reſ.*142 *pag.*125.

123 Qui vi, metu, fraude, aut alio modo inter infideles exteriùs fidem negauit, corde tamen illam retinens; peccauit quidem grauiſſimè contra externam fidei profeſſionem, non tamen eſt hæreticus,

cus, nec incurrit excommunicationem, & potest à quocumque Confessario approbato absolui. Quia infidelitas, aut hæresis externa absque errore interno non subiacet excommunicationi: in foro tamen externo iudicabitur excommunicatus. *resol.* 143. *pag.* 126. 127.

124 Confessarius in vna diœcesi approbatus, potest aliquem illius diœcesis absoluere extra territorium: cùm enim eiusmodi confessarij habeant iurisdictionem in personas pœnitentium, non est habenda ratio territorij. *resol.*44.*pag.*127.

125 Qui fuit absolutus à peccatis virtute Iubilæi, quod tamen postea non est lucratus, si postea meminit se per obliuionem omisisse aliqua peccata reseruata, potest ea cuicumque confessario aperire, & ab eo validè absolui: quia per priorem confessionem, in qua

qua fuit ab omnibus peccatis absolutus, sublata est reseruatio. Neque putandum est, si quis confessus postea non est lucratus Iubilæum, reseruationem aut excommunicationem redire, non enim absolutus est ab excõmunicatione ad reincidentiam: neque peccat mortaliter mutando voluntatem, & non lucrando Iubilæum. *resol.* 145.

126 Qui de Confessarij consensu distulit confessionem post trãsactum Iubilæum, potest ab illo absolui à casibus reseruatis post elapsum Iubilæum commissis: hæc enim videtur esse mens Summi Pontif. alioquin iste non posset lucrari Iubilæum, atque ita Confessario morem gerens esset deterioris conditionis quàm alij. *res.* 147. *pag.* 128.

127 Confessarius virtute Iubilæi potest absoluere à casibus Episcopo reseruatis; cùm possit absol-

uere

uere à reſeruatis Pontifici.*reſ.*149. *pag.*129.

128 Qui conſequutus eſt Iubilæum, non tamen confeſſus, quia peccati mort. ſibi conſcius non erat, non poteſt tranſacto Iubilæo, à peccatis reſeruatis ante illud commiſſis, & per obliuionem omiſſis abſolui: quia cùm hic non fuerit tempore Iubilæi confeſſus, non fuit vllo modo ſublata reſeruatio.*reſ.*150.

129 Qui tempore Iubilæi omiſit in confeſſione peccatum reſeruatum ex iuſtà cauſa, puta ne manifeſtaret complicem, poteſt elapſo Iubilæo ab hoc peccato à quocumque confeſſario abſolui; quia reſeruatio cenſetur indirectè ablata.*reſ.ead.*

130 Qui ſemel lucratus eſt Iubilæum, non poteſt illud ipſum alibi iterum lucrari. Qui tamen ex ignorantia inuincibili neſciuit promulgatum eſſe Iubilæum, poterit

terit illo tranſacto, intra duas hebdomadas à die notitiæ lucrari. *reſ.* 151. *pag.* 129. 130.

131 Qui noluit conſequi Iubilæum, ſi die Sabbathi ſecundæ hebdomadæ mutet propoſitum, poterit abſolui à reſeruatis, & conſequi Iubilæum, dummodò ieiunia commutentur. Si quis autem adimpletis omnibus ad Iubilæum requiſitis; die Dominica, quæ eſt vltima Iubilæi, velit Euchariſtiam ſumere, & imprudens aliquid deglutiat, poteſt Confeſſarius Communionem in aliud opus pium commutare. *reſ.* 152. *pag.* 130.

132 Ad Iubilæum conſequendum non eſt neceſſe omnia opera præſcripta intra eandem hebdomadam implere. Qui autem omnibus peractis incidit in caſum reſeruatum, poteſt ab illo abſolui virtute Iubilæi, etiamſi antea eſſet lucratus Iubilæum; quia tem-

pus Iubilæi nondum effluxit. *res.* 153.

133 Qui fecit confessionem sacrilegam,& sumpsit Eucharistiam indignè, si in vltimo Iubilæi termino per actum contritionis,cum Deo redeat in gratiam, consequetur Iubilæum. *res.* 148. *pag.* 128.

134 Nullus ob periculum obliuiscendi multa peccata mort. tenetur iure diuino ante annum confiteri. *res.*155.*pag.*131.

135 Parochus in sua Parœcia residens, sed per alium administrans sacramenta sine necessitate, peccat mortal.& tenetur ad fructuum restitutionem:quia illius residentia est inutilis; adesse autem inutiliter, idem est quod abesse,cùm beneficium detur propter officium. Debent igitur Parochi, quoad fieri potest, per se administrare sacramenta; non tamen tenentur noctu, nisi nominatim

natim & inſtanter flagitentur. *reſ.*156.

136 In iactantia de peccato mortali ſpecies peccati non eſt neceſſariò exprimenda. Idem dicendum de contumeliis, quæ honorem proximi grauiter lædunt. *reſ.* 61. *pag.* 133.

137 In eodem actu phyſico plures malitiæ morales numero diſtinctæ inueniri poſſunt, & conſequenter plura numero peccata in confeſſione explicanda. Ita qui ſtatuit per totam Quadrageſimam non ieiunare, tot peccata committit, quot ſunt dies Quadrageſ. Qui eodem verbo lædit grauiter famam trium, tria peccata committit. Qui vnico verbo, quatuor ad peccandum inducit, quatuor committit. Coniugatus cum alterius vxore adulterium committens, contra iuſtitiam bis peccat. Qui vno ictu occidit tres clericos, in tres ex-

communicationes incurrit, secùs autem qui ter eundem clericum percutit. *ref.* 164. *pag.* 134.

138 Ignorantia crassa, & vincibilis mysteriorum fidei, est speciale peccatum in confessione explicandum; & distinctum ab eo cuius est causa. Est enim negligentia addiscendi articulos fidei, quæ opponitur virtuti studiositatis. Probabile tamen est eum qui ignorat vincibiliter plures articulos fidei, vnum tantùm peccatum committere; quare non tenetur numerum articulorum quos ignorat in confessione exprimere. *resol.* 165. *pag.* 134. 135.

139 Circumstantiæ notabiliter aggrauantes, non sunt in confessione necessariò aperiendæ; quia speciem non mutant. 1. *part. tract.* 7. *ref.* 1. *pag.* 106.

140 Qui peccauit contra naturam cum mare, vel fœmina, vel bestia

bestia huius aut illius speciei, non tenetur has circumstantias explicare, sed sufficit si dicat: *Peccaui in sodomia*, vel *bestialitate. ibidem res. 2. pag.* 107.

141 Mulier quæ peccauit cum Sacerdote religioso, satisfacit dicendo in confessione se peccasse cum Sacerdote, nec tenetur dicere illum fuisse religiosum. *resol.* 3. Item Sacerdos, vel Religiosus professus satisfacit, si dicat se violasse votum castitatis, neque mentionem faciat voti solemnis quod emisit. *res.* 4.

142 Sponsus, vel sponsa de futuro, & cum eis se carnaliter commiscentes, non tenentur istam sponsaliorum circumstantiam explicare: quia non mutat speciem, cùm non sit adulterium. *res.* 5. *pag.* 107. 108.

143 Episcopus, & Generalis alicuius Religionis si fornicentur, non tenentur explicare istam cir-

cumſtantiam dignitatis, niſi fornicatio illa eſſet ita publica, vt ſcandalum pareret, tunc enim peccatum haberet ſpecialem malitiam ex ſtatu. *reſ. 6. pag.* 108.

144 Virgo quæ ſponte primò fornicatur, non tenetur hanc circumſtantiam in confeſſione aperire; eſt enim tantùm ſimplex fornicatio. *reſ.* 11. *pag.* 109. Idem dicendum de viro peccante cum virgine ſponte conſentiente. *ibid.*

145 Confeſſarius qui carnaliter cognouit pœnitentem, non tenetur hanc circumſtantiam explicare; quia notabiliter tantùm aggrauat peccatum, nec ſpeciem mutat; ſacramentum quippe Pœnitentiæ non inducit propriè cognationem ſpiritualem. *reſol.* 12. *pag.* 110.

146 Qui furatus eſt ingentem pecuniarum ſummam, ſatisfacit in confeſſione, ſi dicat ſe commiſiſſe furtum in re notabili. *reſ.* 14.

147 Con

147 Consuetudo peccandi non est circumstantia necessariò in confessione aperienda, nisi orta sit ex occasione proxima, quam pœnitens tenetur rescindere. *res.* 15.

148 Religiosus non obediens Prælato præcipienti sub obedientia, non peccat dupliciter; quia est vna tantùm malitia. *res.* 16.

149 Copula inter coniuges habita in loco sacro, in quo sunt conclusi, si quatuor, aut quinque dies ibi detineantur, non est circumstantia necessariò in confessione aperienda. Secùs si non sunt conclusi. *res.* 19. *pag.* 111. Habita autem copula in Oratorio priuato, ad fores Ecclesiæ à parte extima, vel in monasterio; non est circumstantia mutans speciem. *res.* 20. *pag.* 112.

150 Clericus, Sacerdos, vel Religiosus, qui alea ludens, aliquem fraudauit in notabili quantitate

tenetur dicere ſe in ludo aleæ fraudaſſe, ſi eſt huic ludo deditus; nam per ſacros Canones ludus aleæ eſt Clericis prohibitus. *reſ.*21.

151 Si quis die Dominico, in quem feſtum alicuius ſancti incidit, Miſſam non audiat; non eſt illa circumſtantia aperienda, quia hæc tranſgreſſio præcepti Eccleſiæ vnam tantùm habet malitiam. Idem dic de ieiunio. *reſol.*22.

152 Qui furatur propter fornicationem, non tenetur dicere ſe commiſiſſe furtum vt fornicaretur, ſed ſufficit, ſi dicat: *furatus ſum*, & poſtea ſubiungat: *habui intentionem mœchandi*: Quia malitia illius finis non eſt diuerſa ab ea quæ reperitur in intentione mœchandi. Porrò circumſtantia finis non eſt explicanda, niſi contineat malitiam mortalem. *reſol.* 23.*pag.*112.113.

153 Tactus impudici facti in

Ecclesia modò non sit periculum pollutionis ratione loci sacri, non habent specialem malitiam sacrilegij in confessione aperiendam: quia Ecclesia tantùm emissione sanguinis, & seminis violatur. *res.* 25.*pag.* 113.

154 Probabilius est pollutionem, & fornicationem occultam factam in Ecclesia, continere specialem sacrilegij malitiam in confessione aperiendam. Quia licet nullum sit scandalum, tamen loci sanctitas violatur. *res.* 16.*pag.* 113. 114.

155 Furtum rei non sacræ in loco sacro, nisi sit ibi deposita quasi sub iure, & potestate Ecclesiæ, non est sacrilegium, cuiusmodi est furtum crumenæ in Ecclesia. Quia res illa non sacra est in Ecclesia quasi per accidens, ergo non irrogatur specialis iniuria ipsi Ecclesiæ. *res.* 27.

156 Cùm omnes contumeliæ

 sint

ſint eiuſdem ſpeciei,& conueniant in ratione formali, quæ eſt intentio lædendi alterius famam, ſatis eſt in confeſsione dicere: *Toties contumelia affeci meum proximum*;nec neceſſe eſt addere:*illum vocaui ebrium, ſcurram, furem, &c.* Idem dicendum de detractionibus.*reſ.*28.*pag.*115.

157 Peccatum odij aduersùs proximum videtur vnius tantùm eſſe ſpeciei; quare ſufficit, vt pœnitens dicat ſe toties odiſſe proximum, neque opus eſt explicare, an illud odium verſetur circa famam,diuitias, *&c.* Quia licet mala volita ſpecie differant; tamen optantur ſub vna ratione formali quæ eſt odium proximi. *reſ.* 30.*pag.*116.

158 Qui commiſit inceſtũ cum matre, filia, ſorore, &c. non tenetur exprimere circumſtantiam perſonæ: quamuis enim grauior ſit inceſtus cum matre, aut filia,

quàm

quàm cum nepte ; tamen quia iſta grauitas auget malitiam intra eandem ſpeciem , non eſt neceſſariò explicanda. *reſ.* 31.

159 Circumſtantia peccati perpetrati in die feſto ſolemni , non eſt neceſſariò in confeſſione aperienda ; quia eſt tantùm circumſtantia aggrauans. Idem dicendum de die , quo quis Euchariſtiam ſumpſit. *reſ.* 32. *pag.* 116. 117.

160 Circumſtantia modi in copula coniugali non eſt in confeſſione aperienda ; eſt enim interdum ſine culpa veniali, ob iuſtam aliquam cauſam : vxor verò tenetur reddere debitum , etiamſi vir cum culpa veniali , voluptatis cauſa poſtulet variationem ſitus. *reſ.* 35. *pag.* 117.

161 Si Iudex furetur rem alienam , quam tenetur ex officio cuſtodire , non debet neceſſariò illam officij circumſtantiam aperire,

rire; neque enim multum aggrauat peccatum. *ref.* 36.

162 Raptus non eſt circumſtantia neceſſariò explicanda in confeſſione, ſi virgo conſenſit, etiam parentibus inſciis: ſi verò parentes actu repugnent, quia tunc fit eis manifeſta vis, & iniuria, erit talis circumſtantia in confeſſione aperienda. Verùm non tenetur raptor ad aliquam reſtitutionem virgini faciendam, quia ſponte, ac liberè conſenſit: volenti autem, & conſentienti nulla fit iniuria. *reſol.* 37. *pag.* 117. 118.

163 Duratio temporis non eſt in confeſſione aperienda, quatenus eſt circumſtantia aggrauans, ſed quatenus pœnitens per illam circumſtantiam declarat numerum peccatorum, quæ v. g. commiſit per annum, quando aliter commodè explicari non poteſt. *reſ.* 39. *pag.* 118.

164 Qui

164 Qui fornicatus eſt, non tenetur in confeſſione explicare tactus, & oſcula, &c. quæ præceſſerunt, aut ſubſequuta ſunt copulam; quia cum actu principali vnum tantum peccatum conſtituunt. *reſ.* 42. *pag.* 119.

165 Qui multorum excipit confeſſiones, in ſtatu peccati mort. dummodò ſucceſſiuè, abſque notabili interruptione, vnum tantùm peccatum committit, & ſufficit, vt dicat, quando confitetur: *Adminiſtraui ſacramentum pœnitentiæ in peccato mort. reſol.* 43. Si tamen eliciat actum contritionis antequam abſoluat, non adminiſtrat ſacramentum in peccato mort. *reſol.* 47. *pag.* 120.

166 Qui confeſſus eſt peccatum, oblitus alicuius circumſtantiæ, ſatisfacit, ſi in proxima confeſſione ſolam circunſtantiam exprimat; ſi commodè poteſt ſeparatim explicari: v.g. qui fura

furatus est calicem Ecclesiæ, & ex obliuione dixit tantùm se furtum commisisse; in proxima confessione satisfaciet, si solum sacrilegium accuset. *res.* 44.*pag.* 119.

167 Pœnitens non potest confiteri peccatum, aut circumstantiam manifestatiuam complicis, etiamsi nullum inde damnum sequatur complici præter infamiam apud confessarium: quia præceptum non infamandi fortius est præcepto faciendi confessionem integram. *resol.* 49. *pag.* 120.

168 Non tenetur quis confiteri circumstantiam, seu diuersitatem blasphemiarum, sed tantùm numerum: quia specie non differunt. *res.* 50. *pag.* 121. Qui sæpius eandem blasphemiam repetit, eodem actu, & tempore, vnum tantùm blasphemiæ peccatum committit. *res.* 51.

169 Qui

169 Qui ſe polluit per contactum alterius Religioſi, aut Clerici, hanc circumſtantiam tenetur explicare. *reſ.* 53.

170 Apoſtaſiæ circumſtantia non eſt neceſſariò in confeſſione aperienda, tanquam diſtincta ab hæreſi; cùm ab illa non differat ſpecie. *reſ.* 54. *pag.* 121.

171 Poteſt Confeſſarius propter conſuetudinem peccandi, abſolutionem differre. *reſ.* 55. *pag.* 122.

172 Diuturnitas voluntariæ retentionis rei alienæ, inuito domino, non eſt neceſſariò in confeſſione aperienda: quia eſt tantùm circumſtantia aggrauans. *reſ.* 58. *pag.* 123.

173 Quando procuratur cauſa culpabilis omiſſionis (vt ſi Clericus in diuturna nauigatione abiiciat Breuiarium, ne recitet officium) ſufficit in confeſſione exprimere cauſam omiſſionis; ipſa enim omiſſio non cenſetur volunta

lunta

luntaria nisi in causa. Idem dicendum de homicidio ex ebrietate, de pollutione in somno, sequuta ex causa culpabili, &c. *res.* 64. *pag.* 124. 125.

174 Copula adulterij cum promissione matrimonij, non est circumstantia necessariò in confessione explicanda; est enim tantùm circumstantia aggrauans. 3. *part. tract.* 4. *res.* 146 *p.* 124.

175 Confessarius qui dicit in aliqua ciuitate, vbi confessiones audit, committi graue aliquod peccatum, putà Sodomiæ, non violat quidem sigillum: si tamen coram infirmioribus, & absque spirituali vtilitate hoc dicat, grauiter peccat propter offendiculum, sic enim audientes à confessione alienari possunt. 2. *par. tract.* 1. *Miscell. res.* 13. *pag.* 45. 46.

176 Quando Confessarius petendi consilij causa, cum licentia pœnitentis, aperuit alteri Sacer-

doti

doti Theologo peccata audita in confeſſione, ſi poſtea hic Theologus cum aliis loquatur de illis peccatis, non frangit ſigillum confeſſionis, ſed tantùm ſecretum naturale: quia non reuelat audita in confeſſione. *ibid. reſ.* 14. *pag.* 46.

177 Quando pœnitens vnum tantùm peccatum confitetur, quod Confeſſarius probabiliter credit non eſſe reſeruatum, valet abſolutio: nam probabilis DD. opinio facit, vt Eccleſia det Confeſſario iuriſdictionem. *ibid. reſ.* 29. *pag.* 53. 54.

178 Diſtillatio ſeu pollutio quæ ſequitur ex verbis amatoriis habitis inter virum & fœminam qui ſunt matrimonio coniungendi, ex ſe non eſt peccatum mortale, modò abſit conſenſus in delectationem: quia cauſa illius pollutionis, nempe verba amatoria, eſt tantùm peccatum veniale, ſe-

cluso tamen scandalo, & periculo proprio, vel alieno; ergo non potest influere in effectum malitiam mortalem. Neque est peccatum mortale, si quis pollutionem patiatur ex aspectu fœminæ curioso, quia hæc non est causa physica, aut moralis pollutionis, neque ille aspectus est peccatum mortale, nisi adsit concupiscentia. *ibid.ref.* 31. *pag.*55. Hanc autem regulam Confessarij teneant: quando causa pollutionis præuisæ per se influit, cuiusmodi sunt tactus & aspectus obscœni, & turpia verba; pollutio censetur peccatum mortale. *ibid.*

179 Quando Confessarius, absoluit pœnitentem ab aliquo casu reseruato non habens iurisdictionem, si pœnitens credit se fuisse validè absolutum, non est quod postea Confessarius laboret; cùm enim fuerit pœnitens absolutus ab omnibus peccatis, fuit

fuit etiam indirectè absolutus à reseruatis per infusionem gratiæ. *ibid.res.60.pag.70.*

180 Confessarius qui ex ignorantia etiam vincibili non obligat pœnitentem ad restitutionem, non tenetur ipse restituere; nam officium Confessarij solum est in ordine ad spiritualia, & si negligens est in officio, contra religionem peccat potiùs, quàm contra iustitiam. 2.*part.tract.*2. *Miscell. res.* 1. *pag.*77.

181 Probabile est Parochum teneri audire confessiones subditorum vel per se, vel per alium, quoties id rationabiliter petunt, siue ratione festi occurrentis, aut indulgentiarum, siue quia habent peccata quæ conscientiam grauant, siue aliam ob causam rationabilem: quia Parochus tenetur ex officio suis subditis Sacramenta ministrare, & subditi habent ius petendi.*ibid.res.*2.

182 Quando multis imminet periculum vitæ, vt in naufragio, bello, peste, &c. possunt omnes simul aliqua peccata confiteri, & dolorem ostendere, & sic omnes simul vnica forma absolui; talis enim confessio est formaliter integra. *ibidem, resol. 43. pag. 93.*

183 Non est peccatum mort. reuelare crimen proximi in confessione: cum enim nullum sit periculum diuulgationis, hoc videtur esse leue damnum famæ. *ibidem, tract. 3. Miscel. resol. 22. pag.* 108.

184 Prælati religionum sine approbatione Ordinarij non possunt sæcularium confessiones audire. *ibidem, res. 46. pag. 9.*

185 Si pœnitens non potest vitare sine magno suo incommodo proximam occasionem peccandi, potest confessarius illum absoluere: quia in hoc casu non censetur

tur velle illam occaſionem; vellet enim ſe ab illa expedire, ſi poſſet ſine graui damno famæ, fortunarum, vitæ, quod ſibi videt imminere. Immò licet in pœnitente vix appareat ſpes emendationis, ſi habeat dolorem de præterito, & propoſitum de futuro, ex multorum DD. ſententia, poteſt abſolui, neque propter recidiuum eſt abſolutio deneganda. *ibid.reſ.*47.*pag.*94.

186 Qui dedit confeſſario pecunias alteri reſtituendas, ſi poſt aliquod tempus ſciat confeſſarium non reſtituiſſe, non tenetur in conſcientia denuo reſtituere: cùm enim ipſe non deberet cum infamia reſtituere, fecit quod potuit, & creditor illo reſtituendi modo debet rationabiliter eſſe contentus *ibid.tract.*3.*Miſcell. reſ.* 2.*pag.*100.

187 Quando debitor eſt in mora ſoluendi, & ſæpius confitetur,

neque restituit; habet tamen animum restituendi; si ex illa dilatione non sequitur detrimentum creditori, non videtur peccare mort. neque est illi absolutio deneganda. *ibid. resol.* 3.

188 Qui inuenit crumenam plenam pecuniis; & adhibita sufficienti diligentia non reperit dominum, potest illas pecunias sibi retinere, neque propterea est illi absolutio à confessario deneganda: quia res quæ nullum habent dominum, sunt primi occupantis. *ibidem, resol.* 5. *pag.* 101.

189 Confessarius qui pœnitentem carnaliter cognouit, non tenetur in confessione hanc circunstantiam aperire, quia est tantùm aggrauans, neque habet malitiam incestus; sacramentum enim pœnitentiæ non inducit cognationem spiritualem. *ibid. res.* 11. *pag.* 103.

190 Pœnitens qui labilis est

memo

memoriæ, non tenetur ſcribere peccata: quia ante confeſſionem iubemur tantùm præmittere ſufficiens conſcientiæ examen, non verò conſeruare memoriam peccatorum. *ibidem, reſol.* 46. *pag.* 118.

191 Si quis confeſſionem fecerit intra annum, impleuit præceptum annuæ confeſſionis, neque tenetur poſtea in Quadrageſ. aut Paſchate confiteri; niſi teneatur alio titulo, vt ſi ſuſcepturus Euchariſtiam in Paſchate, ſibi conſcius eſt peccati mort. aut in articulo mortis. *ibidem, reſ.* 54. *pag.* 121.

192 Qui iter faciens per aliam diœceſim, abſoluitur à peccato quod non eſt ibi reſeruatum; in ſua autem diœceſi eſt reſeruatum, validè eſt abſolutus, quia tunc cenſetur incola illius diœceſis. *ibid. reſ.* 56. *pag.* 122.

193 Tactus impudici in Eccleſia

non habent ſpecialem malitiam ſacrilegij, neceſſariò in confeſſione explicandam, modò non adſit periculum pollutionis: quia Eccleſia ſola ſanguinis & ſeminis effuſione violatur. *ibid. tract. Miſc. reſ. 23. pag.* 108.

194 Qui bona fide maiorem peccatorum mortalium numerum expreſsit in confeſſione, non tenetur illum errorem in prima confeſſione accuſare: quia illa confeſſio eſſet potius excuſatio, quàm accuſatio. Etiamſi autem errauerit in exceſſu; non tamen tenetur verum numerum aperire, confeſſio enim fuit integra; quippe in numero maiori, minor numerus continetur. *ibid. reſ. 25. pag.* 109.

195 Qui omiſit aliqua peccata mort. in confeſſione ex ignorantia vincibili, quia non adhibuit ſufficientem diligentiam in conſcientia examinanda, fecit con-

feſſio

fessionem informem, absque vllo fructu gratiæ; validam tamen quoad substantiam, ita vt non teneatur pœnitens eadem peccata denuò confiteri, sed ea tantùm quæ omisit, & negligentiam, per quam sunt omissa. *ibid.res.*31.*pag.* 112.

196 Habens casus reseruatos, vrgente necessitate communicandi ad vitandam grauem infamiam, potest confiteri tantùm peccata non reseruata; & reticere reseruata, vel potest elicere actum contritionis, & sic communicare absque præuia confessione. Sin peccata reseruata habeant annexam excommunicationem, potest conteri, & sic communicare, vel si est tantùm attritus, potest confiteri inferiori sacerdoti non reseruata. 2. *part.tract.* 5.*Miscell.res.* 204.

197 Si peregrinus proficiscatur ad aliquod oppidum extra paro-

chiam, vt ibi confiteatur, valida est confessio: licet enim extra parochiam alteri confiteri; neque hic vtitur fraude illicita, sed vtitur iure suo. 3. *part. tract.* 6. *Misc. res.* 28. *res.* 233.

SACRAMENTVM *Extremæ Vnctionis.*

198 SAcerdos, peste grassante, potest vngere infirmum virga oblonga oleo tincta, quam posteà comburet. 3. *part. tract.* 4. *res.* 167. *pag.* 135. Immò omisso Crucis signo potest vnam tantùm partem inungere, addita verborum formula. *ibid. res.* 168. *p.* 135. 136.

199 In dubio an puer habeat vsum rationis, potest vngi hoc Sacramento sub conditione. *res.* 169. *pag.* 136.

200 Non suscipere sacramentum

tum Extremæ Vnctionis, ſecluſo contemptu & ſcandalo, non eſt peccatum. Neque tenetur Parochus ſub peccato mort. illud miniſtrare, niſi infirmus grauiter indigere videatur. Quia nullum præceptum ad id obligat. Notandum ſi Paſtor abſit, vel ſi non poſſit, aut nolit, poſſe inferiorem Sacerdotem etiam renitente Parocho, infirmum inungere. *reſ.* 170.

201 Moribundus ſenſibus deſtitutus tempore interdicti, qui alia Sacramenta non potuit ſuſcipere, poteſt inungi, ne omnino ſine Sacràmentis decedat. *reſ.* 171.

202 Adulto in articulo mortis recens baptizato, poteſt ſacramentum Extremæ Vnctionis abſolutè conferri. *reſ.* 172. *pag.* 137.

203 Non eſt differenda Extrema Vnctio, vſque dum infirmus iam ſenſu, & cognitione careat, id enim eſt contra reuerentiam & vtilitatem huius Sacramenti, quod

etiam

etiam conducit ad corporis sanitatem. *ref.* 173.

204. Si peste infecti confessi sunt, potest Parochus tuta conscientia sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis illis non ministrare. *ref.* 174.

205 Forma indicatiua in hoc Sacramento non sufficit, sed adhibenda est deprecatiua, cùm S. Iacobus dixerit: *Orent super eum. ref.* 175. *pag.* 138.

206 Renouandum est quotannis oleum infirmorum, & vetus comburendum in Ecclesia, vel in piscinam iniiciendum; si tamen nullum adsit oleum nisi vetus, potest eo inungi moribundus. *ref.* 176.

207 Sufficit vna olei stilla ad vnamquamque vnctionem huius Sacramenti. *ref.* 177.

208 Sacerdos alio modo vngens infirmum quàm in formam crucis, peccat quidem, non tamen mortaliter. *ref.* 178. *pag.* 139.

290 Pro

209 Probabilior fert ſententia in hoc Sacramento tunc conferri gratiam, quando perficitur vltima vnctio cũ forma verborũ. *reſ.* 179.

210 Si Sacerdos vngens infirmum omitteret illa verba (*per ſuam piiſſimam miſericordiam*) conficeret Sacramentum : quia cauſa principalis operans in hoc Sacramento, ſufficienter per verba ſequentia exprimitur. *reſ.* 180.

211 Omnibus pueris poſt ſeptennium, niſi conſtet illos carere vſu rationis , danda eſt extrema vnctio ; licet nunquam communicarint. 3. *part. tract.* 6. *Miſc. reſ.* 89. *pag.* 259.

212 Parochus etiamſi ex confeſſione cognoſcat puerum nunquam actualiter peccaſſe , debet tamen illum inungere ; nam illi proderit hæc vnctio ad robur acquirendum contra tentationes, & morbi moleſtias , & ad gratiam augendam. *reſ.* 181.

SACRA

SACRAMENTVM Ordinis.

213 Surdaster, vel qui altera tantùm aure est. surdus, nullo iure à sacris ordinibus arcetur. *2.part.tract.3. Misc.res.* 20. *pag.*107.

214 Qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, non incurrit suspensionem, neque irregularitatem, si adueniente mala fide celebret ante legitimam ætatem, quam vbi attigit, potest sine vlla dispensatione celebrare; vel exercere actum ordinis suscepti.3.*part. tract.*4.*res.*181.*p.*140.

215 Clerici sacris ordinibus initiati peccant mort.si per contumaciam aut contemptum non deferant habitum & tonsuram, neque debent vnquam incedere, quin aliqua nota internosci possint à laicis.*res.*183.

216 Ordi

216 Ordinatus cum patrimonio ficto vtpote donato ea conditione, vt post ordines restituatur donanti, peccat quidem mortaliter; non tamen incurrit suspensionem, neque tenetur ad restitutionem: quia illa promissio de restituendo patrimonio est irrita, neque vllam inducit obligationem. *res.*84. *pag.* 140.141.

217 Ad substantiam, & valorem ordinationis, non requiritur contactus realis & physicus rerum, quæ præbentur tangendæ. *res.* 185.

218 Traditur Sacerdoti initiando calix cum vino, & patena cum hostia; si tamen desit altera specierum, non est ordo iterandus ex necessitate: si enim potest vnam speciem consecrare, poterit & alteram, quia hæc potestas non datur diuisim. *res.*186.

219 Ordinatio Sacerdotis constat ex duabus partialibus materiis

riis ſcilicet traditione calicis, & patenæ, per quam confertur poteſtas ſacrificandi, & impoſitione manuum vnà cum verbis: *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. per quam datur poteſtas abſoluendi. *reſ.*187.*pag.* 142. Materia Ordinis Diaconatus eſt traditio libri Euangelij cum impoſitione manuum. *reſ.* 188. Materia ordinis Subdiaconatus eſt traditio Calicis vacui, & patenæ item vacuæ ſuperpoſitæ. *reſ.* 189.

220 Epiſcopus poteſt ordinare familiarem ſuum alienæ diœceſis, immò & cum illo in interſtitiis diſpenſare.*reſ.*190.

221 Qui habet dimiſſorias cum hac reſtrictione, vt poſſit ordinari à quocumque Epiſcopo, in propria diœceſi ordinante, poteſt etiã ſub ratihabitione ordinari ab Epiſcopo in aliena diœceſi de licentia ordinarij, ordines conferente. *reſ.* 191.*pag.*143.

222 Qui

222 Qui mala fide ſuſcepit ordinem ſacrum ante legitimam ætatem, vel ſine literis dimiſſoriis, vel extra legitima tempora, incidit in ſuſpenſionem, & ſi celebret, in irregularitatem. *reſolut.* 192.

223 Ordo ſacer per vim & metum ſuſceptus, non impedit, nec dirimit matrimonium: votum enim ex graui metu factum nullum eſt ipſo iure. *reſ.* 193.

224 Epiſcopus, ſi ſciens, vel ex affectata ignorantia primam tonſuram conferat ſine proprij Epiſcopi licentia, incurrit in pœnam ſuſpenſionis latam in cap, *eos.* de temp. ordin. in 6. *reſ.* 194.

225 Diaconus & Subdiaconus ſæpius canentes Euangelium, & Epiſtolam in peccato mort. non peccant mort. Quia talis actio non eſt diſpenſatio meritorum Chriſti, vt eſt adminiſtratio Sacramentorum. *reſ.* 195. *pag.* 144.

Neque item eſt peccatum mortal. exercere functiones minorum ordinum in peccato mort. quia probabile eſt minores Ordines non eſſe vera ſacramenta. *reſ.* 196.

226 Non eſt peccatum concionari in peccato mortali occulto, ſed tantùm in publico: quia actus concionandi non eſt conſecratus, neque ex ſua natura, neque ex inſtitutione Eccleſiæ, neque certo ordini deputatus, cum multi nondum ſacris ordinibus initiati prædicare ſoleant. Idem dicendum de Lectore Sacræ Theologiæ, & Scripturæ, modò abſit ſcandalum. *reſ.* 197.

227 Qui ſuſcepit ſacros ordines cum patrimonio ficto, non incurrit ſuſpenſionem: nam Congregatio Concilij declarauit ordinatum ſine titulo non eſſe ſuſpenſum. 2. *part. tract.* 1. *Miſcell. reſ.* 5. *pag.* 79.

228 Poteſt Regularis licet latinam

nam linguam minùs intelligat, ad ſacerdotiũ admitti. *ib. reſ.* 31. *p.* 88.

SACRAMENTVM Matrimonij.

229 ADulterium cum promiſſione ficta contrahendi poſt obitum viri, non eſt impedimentum; nam vt contrahatur impedimentum, opus eſt vt promiſſio matrimonij ſeriò, & ex animo fiat, ſitque mutua. 3. *part. tract.* 4. *reſ.* 198 *pag.* 144.

230 Contrahentes matrimonium in peccato mort. non committunt duplex peccatum, quatenus ſuſcipiunt, & quatenus miniſtrant hoc Sacramentum indignè: quia non ſunt ad hoc miniſtrandum ſpecialiter deputati. *ibid. reſol.* 199. *pag.* 145.

231 Non peccat mort. coniux, ſi voluntariè delectetur in commotione ſenſibili orta ex coniu-

gis abſentis recordatione;quia illa delectatio per ſe tendit ad opus coniugale;eſt autem per accidens, quod per abſentiam opus non poſſit exerceri : ſupponendum tamen eſt in hoc caſu abeſſe pollutionis periculum. *reſolut.* 200.

232 Quando eſt improportio inter virum , & vxorem , quia vxor eſt nimis arcta , ſi ille defectus eſt naturalis ob extraordinariam arctitudinem , tenetur illa pati inciſionem, modò non ſit periculum , ne inde ſequatur mors, vel infirmitas grauis ; quia defectus ab ipſa prouenit , & in eas anguſtias mulier ſua culpa ſe conjecit; debuiſſet enim ante nuptias ſibi proſpicere. Si verò defectus non prouenit ex muliere , ſed ex viro , quia ſcilicet membrum habet nimis improportionatum, vel minùs rigidum , vxor non tenetur pati inciſionem , etiamſi

facili

facili negotio, & absque periculo fieri possit; quia cùm defectus sit viri, ad ipsum pertinet vti remedio: vxori verò sufficit offerre debitum more ordinario. At si vir post trium annorum congressum, & conatum, non tamen potuit claustra perrumpere, probabile est matrimonium esse dissoluendum. Quia in contractu matrimonij fit mutua traditio corporum aptorum ad vsum coniugij; si ergo vir ineptus fuerit ad vsum corporis, quod ex se aptum illi in vsum traditur, nullum habet ius ad eius vsum. Itaque vir qui est impotens ad virginem agnoscendam, nisi illa incidatur, nullum ius habet ad vsum illius corporis; cùm enim hoc ius solùm conferri debeat ex vi contractus, non censetur contractus validus nisi subintellecta conditione, *modò aptitudo sit mutua*. Neque dixeris, matrimonium non es-

se dissoluendum nisi ob impedimentum perpetuum; hoc autem non esse perpetuum, cùm arte medicorum absque periculo facile tolli possit. Respondeo enim id esse verum; quando impedimentum prouenit ex defectu fœminæ, sed in nostro casu impedimentum prouenit ex defectu viri, qui defectus nullo remedio tolli potest; mulier autem, vt suppono, nullum vitium contraxit à natura, sed est integra & vegeta, quare ipsi non sunt remedia adhibenda, sed viro potius qui defectum patitur. Si qui autem Canones videntur huic nostræ sententiæ aduersari, intelligendi sunt de defectu qui prouenit ex muliere, non autem ex viro. *ref.* 201.

233 Sabbatho integro ante primam Dominicam Aduentus nuptiarum solemnitas non est prohibita; sed prohibitio incipit à media nocte, quia à media nocte incipit

incipit prima Dominica Aduentus; vt fer.4. Ciner. incipit etiam à media nocte.*res*.202.*p*.145. 146.

234 Qui post votum Religionis, vel castitatis, corrupit virginem sub spe, & pacto coniugij, tenetur illam ducere, nisi ea gratis remittat obligationem, aut alia ratione illi satisfiat.*res*. 203. *pag*. 146. Contraria tamen sententia est etiam probabilis: quia promissio facta virgini nulla fuit, vtpote promissio rei illicitæ contra votum. Igitur qui post votum religionis deflorauit virginem cum promissione coniugij, potest vtrumlibet, vel matrimonium cum illa contrahere, vel religionem ingredi. *res*.280.*pag*.72.

235 In spõsalibus nõ sufficit consẽsus fictus; quia promissio, quæ fit animo ficto, nõ obligat, cùm is qui promittit nõ habeat intentionẽ se obligandi.*res*.205.*pag*.146.147.

236 Si is qui contraxit sponsa-

 lia,

lia, adimplere nolit, primùm monendus eſt, deinde per cenſuram compellendus; compulſione tamen moderata. *reſol.206. pag.* 147.

237 Poſt ſponſalia etiam iuramento confirmata licet religionem ingredi; per ingreſſum autem ſponſalia diſſoluentur. *reſ.* 207.

238 Qui contractis ſponſalibus, ſacros ordines ſuſcipit, nullum peccatum committit: quia quando contrahuntur ſponſalia, videtur ſubintellecta conditio (*niſi impediat electio melioris ſtatus, reſ.* 208.

239 Per matrimonium validum diſſoluuntur priora ſponſalia quoad eum qui contraxit matrimonium. Quoad eum verò qui contraxit, eſt probabile obligationem ſponſalium non extingui (ſi alter expectet) ſed ſuſpendi; vt cum quis votum religionis emiſit, &

& poſtea contraxit coniugium & conſummauit, non extinguitur voti obligatio, ſed ſuſpenditur; nam diſſoluto matrimonio tenetur religionem ingredi. *reſol.* 209. *pag.* 148.

240 Si poſt ſponſalia cum prima, ſequantur ſponſalia cum ſecunda, vnà cum copula, probabile eſt priora ſponſalia diſſolui; poſterior enim promiſſio eſt fortius vinculum, & ſtrictior obligatio reſarciendi iniuriam, & damnum. *reſ.* 210.

241 In contractu ſponſaliorum licitè poteſt apponi pœna iniuſtè reſilienti; tamen ex communi DD. ſententia reſiliens non tenetur pœnam perſoluere. *reſ.* 211.

242 Pactum in contractu ſponſalium, vel matrimonij appoſitum, vt vir perpetuò habitet in domicilio vxoris, eſt validum, niſi noua, eaque iuſta cauſa emergat mutandi domicilij; tunc enim

vxor tenebitur virum ſequi. *reſol.* 212.

243 Sponſalia metu graui contracta, ſunt inualida, nec fiunt valida accedente iuramento: quia iuramentum metu extortum non confirmat contractum, nec indiget relaxatione. *reſ.* 278. *pag.* 171.

244 Quando aliqui pro aliis præſentibus, & tacentibus contrahunt ſponſalia, horum taciturnitas non eſt ſignum ſufficiens interni conſenſus: neque vrget illa regula iuris: *Qui tacet, conſentire videtur*; tunc enim cenſetur conſentire, quando eſt in ſuum fauorem, non verò in ſuum præiudicium. Contraria tamen ſententia eſt etiam valde probabilis. *reſ.* 270. *pag.* 168.

245 Quando parentes & tutores pro filiis, & pupillis contrahunt ſponſalia, non ſufficit poſtea id ſcientes non contradicere, ſed requiritur, vt ſponſalia à parenti-

bus

bus contracta tacitè vel expreſsè aliquo ſigno ſufficienti ratificent. *reſ.* 271.

246 Ad contrahenda ſponſalia ſufficit ſeptennium eſſe moraliter completum, etiamſi octo vel decem dies deſint; quod intelligendum eſt in foro externo, & quando non conſtat malitiam ſupplere ætatem; nam in foro conſcientiæ valida erunt ſponſalia multò ante contracta, ſi adſit ſufficiens vſus rationis. *reſ.* 274. *pag.* 169. 170. Neque peccant pueri ante ſeptennium ſponſalia contrahentes. *reſ.* 275. Contrahentes autem matrimonium ante legitimam æternam abſque licentia Epiſcopi, & iuſta interueniente cauſa, peccant mort. id enim iure prohibetur. *reſ.* 276. *pag.* 170. Ætas autem legitima completur prima die anni 12. in fœminis, & 14. in viris, & quamuis deſint duo aut tres dies, ſufficit ætatem

tem moraliter esse completam. Immò matrimonium ante legitimam ætatem contractum, si malitia suppleat ætatem, est validum. *res.* 277. *pag.* 171.

247 Potest quis puber factus, non expectata alterius pubertate statim resilire à sponsalibus. Quia frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus. *resol.* 282. *pag.* 172.

248 Sponsa non potest resilire à sponsalibus, etiamsi sponsus permittat se ab alia impudicè tangi per oscula, amplexus, &c. quia id sponsæ non est dedecus; nisi illa oscula essent ita frequentia, vt indicarent propensum valde sponsi in alteram animum, vt meritò timeri possit, ne fidem sponsæ sit seruaturus. *res.* 283. *pag.* 173.

249 Si vterque sponsus fornicetur post sponsalia, solus vir potest à sponsalibus resilire: nam delicta sunt valde imparia, longéque

géque ignominiosius est sponso talem ducere, quàm sponsæ, tali nubere; ad hæc, longè grauius damnum imminet sponso propter incertitudinem prolis. *res.* 284.

250 Certum est sponsum posse resilire à sponsalibus, si sponsa oculum, aurem, vel nasum amiserit, vel si morbus contagiosus vel lepra superueniat, item ob grà-ueolentiam oris immedicabilem, aut vehementem morbi gallici suspicionem. Idem dicendum est de notabili deformitate quæ post sponsalia superuenit sponsæ: tunc enim sponsus habet ius resiliendi; non item sponsa, si hæc deformitas accidat sponso; quia in viris non admodum requiritur pulchritudo; nisi sponsus ita fieret deformis, vt spectantibus horrorem incuteret, aut ineptus redderetur ad officium, seu opificium exercendum. *res.* 285.

251 Quando nulla præcessit promis

promissio dotis, dissolui possunt sponsalia, ob paupertatem sponsæ superuenientem: hæc enim est notabilis mutatio, quæ si fuisset à principio, sponsalia non fuissent contracta. At si sponso noua repentè hæreditas obueniat, ita vt sponsa iam illi sit inæqualis; non ideo habet ius resiliendi, quia non fuit deceptus in sponsæ conditione, in qua nulla facta est mutatio. Idem dicendum de sponsa, si noua illi hæreditas accedat. *resol.* 286. *pag.* 174.

252 Contrahens non tenetur aperire suos defectus, qui reddunt nuptias minùs appetibiles, non tamen perniciosas; præsertim cum eiusmodi defectus aliquam infamiam habent adiunctam. Sic sponsa vti potest aliquo artificio, ne vir deprehendat corruptam; immò licet apertè diceret se esse virginem, non propterea peccaret mortaliter, posséтque cogere

cogere sponsum huius occulti defectus ignarum, ad standum sponsalibus, & matrimonium contrahendum. At verò si defectus sunt perniciosi, vt morbus contagiosus, grauis infamia, &c. non licet cum horum ignaro contrahere, nisi similes defectus ipse pateretur. *res.* 287.

253 Sponsalia inter consanguineos inita cum conditione, *si Papa dispensauerit*, sunt nulla; ideoque licet vtrique contrahenti ante, & post impetratam à Pontifice dispensationem, altero inuito, à sponsalibus resilire, etiamsi promissio sit iuramento confirmata. Si tamen factæ sint magnæ impensæ ad impetrandam dispensationem, resiliens tenetur illas restituere. *res.*290.*pag.*175.

254 Matrimonium initum per verba de præsenti, sub conditione aliqua honesta, non fit validum post impletam conditionem,

absque

absque nouo alio consensu, sed habebit tantum vim sponsaliorum; perinde enim est ac si fieret per verba de futuro; neque vllum Sacramentum pendere potest à conditione de futuro. Quare si duo consanguinei contrahant coram Parocho, & testibus per verba de præsenti, sub conditione, *si Papa dispensauerit*, non est matrimonium, nisi accedat nouus consensus post obtentam dispensationem. *res.291.pag.176.*

237 Ad reualidandum matrimonium fictè contractum, sufficit, si fictè consentiens, pòst verè assensum præbeat quocumque temporis spatio interiecto: alterius enim consensus semper manet non tantùm virtute, sed etiam actu, & formaliter; credit enim valere matrimoniũ, petit & reddit debitum; neque opus est, vt coram Parocho & testibus iterum celebretur hoc matrimonium; supplendus est enim

enim tantùm defectus consensus interni. *res.* 292.

256 Quando adest scientia iuris, error facti, vt quando coniuges falsò credunt adesse impedimentum, & tamen contrahunt, quia illis occurrit se fortassis non teneri illo impedimento, potest esse consensus sufficiens ad matrimonium, quia est quasi conditionatus, & conditio est de præsenti. Si verò planè credunt subesse impedimentum, etsi reuera non subsit, & nihilominus contrahunt, matrimonium est nullum; quia impossibile est illos habuisse intẽtionem contrahendi, cùm sciant se nullo modo posse. *res.* 293.

257 Tenetur Parochus vtrumque sponsum interrogare de mutuo consensu ante contractum, eius tamen omissio quando constat vtrumque liberè consentire, est leuis, & tantùm venialis. *resol.* 294. *pag.* 177.

258 Qui bona fide contraxit, si postea dubitet de valore matrimonij, & post adhibitam diligentiam nondum sit certus, poterit tamen reddere, & petere debitum; quia est possessor bonæ fidei. Neque tenetur coniux regulariter credere alteri asserenti etiam sub iuramento, se non consensisse, aut aliud subesse impedimentum dirimens. *res.*295.

259 Contrahere cum impedimento dirimente non est duplex peccatum, transgressio scilicet iuris, & sacrilegium propter nullitatem sacramenti; quia Sacramentum matrimonij est etiam contractus, cuius forma est mutuus contrahentium consensus verbo, nutu, scripto, aut alio signo expressus; vnde cum ius Ecclesiasticum aut naturale apponit impedimentum, irritat consensum, & per consequens, Sacramentum; at verò contrahentes quan

quantum in se est, intendunt validè contrahere. *res*. 297.

260 Coniux non reddens debitum, excusari potest à peccato mortali, si timet, ne ob multiplicationem prolis, parentes & liberi ad extremam inopiam redigantur. Pactum autem inter coniuges initum se continendi, ne proles multiplicetur, secluso incontinentiæ periculo, est validum. *res*. 213. *pag*. 148. 149.

261 Vt mulier transire possit ad secundas nuptias, non sufficit præsumptio verisimilis de morte viri; si tamen persuasio esset valde probabilis, & iustissima credendi causa, non peccaret, si bona fide ad secundas nuptias transiret. Quia in moralibus ad instituendas actiones sufficere debet probabilissima, licèt non omnino certa opinio. *resolut*. 214. *pagina* 149.

262 Si coniugatus seipsum tan-

gat voluptatis causa, extra actum coniugij; peccat mort. etiamsi absit periculum pollutionis: quia non habet dominium sui corporis in ordine ad venerem secum explendam; sed tantùm in ordine ad illam explendam cum coniuge. *res*.215.

263 Coniuges vtentes copula, voluptatis causa, ne venialiter quidem peccant; neque si ob pulchritudinem, aut diuitias contrahant. *res*.216.

264 Tactus, oscula, &c. inter coniugatos non semper sunt peccata mort. licèt cum periculo pollutionis, immò etiam cum pollutione, si accidat præter intentionem. *resol*.217.

265 Vsus matrimonij est licitus tuendæ valetudinis causa, licèt suppetant alia media ad eum finem accommodata. *res*. 218. *pag*. 150. Necnon vitandæ fornicationis gratia; quia matrimonium

post

poſt lapſum hominis, ordinatum eſt etiam in remedium concupiſcentiæ.*reſ.*219.

266 Omnia vota vxoris, ſaltem conſtante matrimonio nuncupata, à marito irritari poſſunt, non minùs quàm vota religioſi à Prælato, & vota impuberis à patre. Item votum vxoris de ingredienda religione poſt obitum viri. Item vxoris vota emiſſa ante matrimonium, quod intelligendum eſt etiam de marito ſecundi matrimonij, qui poteſt irritare vota, quæ fecit vxor tempore prioris matrimonij.*reſ.*220.

267 Nemo ex vi denuntiationis tenetur detegere impedimentum matrimonij occultum, quod ipſe ſolus nouit, neque poteſt probari.*reſ.*221.*pag.*151.

268 Ex ſponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis, nullum oritur impedimentum publicæ honeſtatis. Id eſt, qui contraxit ſponſalia

cum aliqua, si postea ex communi consensu illa dissoluantur, potest cum illius sorore contrahere. *res.* 222.

269 Ecclesiasticis legibus non licet vxorem in adulterio deprehensam occidere: nam ex contraria sententia daretur occasio quemlibet occidendi impunè, fingendo cum vxore illum habuisse commercium, & exponeretur manifesto periculo æterna salus sic interfectorum, qui accusandi sunt potiùs, & per iudicis sententiam puniendi. *res.* 223.

270 Non est peccatum mortale delectari morosè de copula cogitata tanquam præsente, dum coniuges sunt absentes. Cum autem copula interdicitur coniugibus ob circunstantiam aliquam extrinsecam, quæ per se neutrum coniugum arcet ab vsu matrimonij, non est prohibita delectatio de copula cogitata vt præsenti,

vt

vt ſi prohibita ſit copula ob periculum aborſus; cùm enim hæc impedimenta opponantur ſoli copulæ, ſolus vſus illius redditur illicitus, non autem delectatio. *reſ.* 224. *pag.* 152.

271 Tactus & oſcula etiam in partibus pudendis, verba impudica, &c. inter coniugatos non ſunt peccatum mortale, modò abſit periculum pollutionis. *reſ.* 225. Etiamſi detur cauſa commotioni membrorum ſeruientium generationi. *reſ.* 226. *pag.* 153.

272 Poſſunt coniuges etiam ſine peccato veniali cœptam copulam de mutuo conſenſu abrumpere, ne ſeminatio noceat valetudini, ne proles generetur ob nimiam paupertatem, &c. modò abſit periculum pollutionis. *reſ.* 227

273 Si deprehenſus in ſtupro offerat conſanguineis matrimonium cum puella, vel in adulterio

deprehensus offerat matrimonium cum aliqua consanguinea mariti, ne accusetur, vel prodatur iustitiæ, non obstante illo metu, tenetur in conscientia illud matrimonium adimplere; quia metus est iustè illatus. Secus autem si id faciat metu mortis inferendæ à consanguineis, vel à viro. Is enim metus est iniustè illatus, cum illi non possint iustè occidere. *resol.* 228.

274 Quando matrimonium ex graui metu contractum est, potest resilire is qui liber est à metu, modò ipse vim aut metum non intulerit: quia nullam intulit iniuriam, quam teneatur per matrimonium resarcire. *resol.* 229. *pag.* 154.

275 Sponsi rus profecti recreationis causa, non possunt ibi matrimonium contrahere; quia non contraherent coram proprio Parocho, neque de Parochi licentia;

atque

atque hæc eſt ſacræ Rotæ deciſio. *reſ.231.*
276 Matrimonium in parochia ſponſæ contractum coram Parocho ſponſi eſt validum. An autem hic Parochus, qui in aliena parochia coniungit ſuum parochianum, peccet mortaliter, & ſit puniendus, in vtramque partem diſceptatur probabiliter. *reſol. 232. pag. 155.*
277 Parochus excommunicatus aſſiſtens matrimonio, non peccat; quia communicat in re neceſſaria ad ſuum munus ſpectante; & licèt benedicens ſponſos videatur peccare, quia exercet actum iuriſdictionis; quia tamen res eſt parui momenti, nec neceſſaria ad Sacramentum, non excedit culpam venialem. Poteſt etiam excommunicatus alteri licentiam dare, vt matrimonio aſſiſtat. *reſ.233.*
278 Non poteſt validè matri-

monium contrahi, etiam vrgente necessitate sine Parocho, & testibus, vt si morti vicinus vellet concubinam ducere ad legitimandam prolem, potest tamen parochus in hoc casu omittere denuntiationes. *ref.* 234.

279 Denuntiationes faciendæ sunt in vtriusque parochia, in qua diutius versati sunt, & domicilium habuerunt: cum enim denuntiationes fiant, vt impedimenta detegantur, id non potest commodè fieri in loco, vbi sponsi sunt parùm noti. *resol.* 235. *pag.* 156. Sunt item denuntiationes faciendæ tribus diebus festiuis, non tamen continuis; oportet enim duorum vel trium dierum interuallum intercedere inter vnam, & alteram. Omittere autem vnam ex tribus denuntiationibus, non est peccatum mortale. *resol.* 236.

280 Episcopus eiúsque Vicarius

rius dispensare possunt, ne ex iusta causa denuntiationes fiant; Vicarius enim Episcopi censetur Ordinarius. *resol.* 237. 238. *pag.* 156. 157. Quando verò contrahentes non sunt ex eadem diœcesi, si Ordinarius vnius dispenset in denuntiationibus, possunt etiam omitti in alterius diœcesi. *res.* 239.

281 Si coniuges ante benedictionem matrimonium consumment, ne venialiter quidem peccant; si verò ante denuntiationes factas, peccant mortaliter, non tamen est irritum matrimonium; si cætera requisita obseruentur. At si denuntiationes ante nuptias factæ non fuerunt, faciendæ sunt ante consummationem matrimonij, nisi Episcopo videantur omnino prætermittendæ. *resolut.* 240. 241. *pag.* 157. 158.

282 Non obstante copula violenter extorta intra bimestre, potest

test mulier quæ vim passa est, viro renitente, ad religionem transire: quia sponsus grauem illi intulit iniuriam, cum non haberet ius copulam extorquendi ante bimestre concessum. *resolut.*242. *pag.*158.

283 Altero coniuge religionem ingrediente, debet etiam alter ingredi si sit iuuenis; si verò sit senex, potest in sæculo manere, emisso tamen voto castitatis. *res.* 243.

284 Si alter promittat matrimonium,& alter acceptet, tamen absque repromissione tacita, vel expressa, neuter obligatur: quia contractus matrimonij mutuam requirit obligationem, nec vllus vult se alteri tradere, nisi sub conditione, vt alter se ei mutuo tradat.*res.*244.*pag.*158 159.

285 Qui contraxit sponsalia nullo præfixo termino, non tenetur promissionem implere,nisi requiren

quirente eo cui facta est promissio: id enim commune est omni debito absque diei præfixione, vt solùm teneatur debitor soluere à creditore requisitus. *resolut.* 245. *pag.* 159.

286 Qui fictè contraxit matrimonium, non tenetur iterum verè & ex animo contrahere, nisi graue damnum vel infamia sequatur fœminæ, cum qua contraxit. *res.* 247. *pag.* 159. 160.

287 Qui cùm loqui possit, matrimonium contrahit per signa, & nutus, venialiter tantùm peccat. *res.* 248. *pag.* 160.

288 Si procuratore misso ad contrahendum, mandans in amentiam incidat, valet matrimonium: manet enim virtute prior consensus, sicut baptismus petitus ante amentiam, validè confertur in amentia. *res.* 249.

289 Probabilius est matrimonium inter absentes contractum per

per procuratorem, vel per literas coram Parocho, & testibus, esse Sacramentum: quare qui ita contrahunt, debent dare operam, vt sint in gratia eo tempore quo procuratores eorum nomine contrahunt, ne Sacramentum viuorum suscipiant in peccato mortali: procuratores autem non est necesse esse in gratia, quia ipsi non suscipiunt Sacramentum. *res.* 250. *pag.* 161.

290 Materia & forma huius Sacramenti sunt ipsa verba contrahentium: nam quatenus matrimonij contractum inchoant, habent rationem materiæ, quatenus verò eundem perficiunt, & complent, habent rationem formæ. *res.* 251.

291 Coniux ex infidelitate ad fidem conuersus, potest transire ad alias nuptias, quamuis alter in infidelitate persistens, velit pacificè cohabitare; est tamen longè tutius

tutius petere dispensationem. Qui verò non vult petere, tenetur infidelem monere, & inuitare ad fidem, petenti verò certum tempus ad deliberandum, debet concedere. *resolut.* 252. *pagina* 161. 162.

292 Matrimonium contractum inter infideles, non potest fieri verum Sacramentum, etiamsi postea baptizétur. Quia matrimonium est essentialiter contractus inter baptizatos initus; post baptismum autem non possunt de nouo matrimonium contrahere, quia prius matrimonium non irritatur per baptismum. Tamen credere par est, Deum eiusmodi coniugatis ad fidem conuersis maiorem gratiam impertiri ad ferenda onera matrimonij, quàm infidelibus, ratione fidei, ac baptismi. *res.* 253.

293 Inter fideles potest esse matrimonium, quod non sit

Sacra

Sacramentum: cum enim ministri huius Sacramenti sint ipsi contrahentes,& cùm omne Sacramentum perficiatur intentione ministri: si contrahentes habeant intentionem celebrandi matrimonium, non tanquam rem sacram, sed tantùm vt contractum, reuera tale matrimonium non erit Sacramentum; valebit tamen contractus, ita vt ita contrahens non possit alteri nubere. *res.* 255. *pag.* 163.

294 Quando adulterium est ita occultum, vt probari ab innocente non possit, potest ille non expectato Ecclesiæ iudicio, in foro conscientiæ vxorem dimittere, secluso tamen aliorum scandalo: quia vir in foro conscientiæ potest sibi ius dicere, cum defectus probationis non proueniat ex sua culpa. Tamen in foro externo non permittitur separatio, nisi adulterium sit notorium. Facto autem diuor

diuortio de ſententia iudicis Ec-
cleſiaſtici, innocens habet ius re-
uocandi ad ſe nocentem ſi velit;
quare nocens non poteſt inuito,
aut inconſulto innocente ad reli-
gionem tranſire, nec votum ſim-
plex caſtitatis emittere. *reſ.* 257.
pag. 163.164.

295 Matrimonium contractum
ſine præſentia Parochi, & teſtium,
ne vim quidem habet ſponſa-
lium, ſeu promiſſionis de futuro,
& ſic contrahentes poſſunt diſce-
dere ab illo contractu non expe-
ctata Iudicis ſententia, & ſi inter-
ceſſiſſet iuramentum, nihil eſt
opus abſolutione: cum enim ille
contractus aduerſetur decreto
Concil. Trid. videtur potius illu-
ſorius quàm vllo modo validus.
reſol. 258.

296 Impedimenta criminum
ſunt per diuturnam deſuetudinem
ſublata. Sunt autem hæc. 1. vxo-
ricidium. 2. Preſbytericidium. 3.

matrimonium cum moniali ſcienter initum. 4. Si quis ſuam prolem de ſacro fonte ſuſcepit. 5. Si quis ob peccatum publicum pœnitentiam agere debuit. 6. Raptus ſponſæ alienæ. 7. Inceſtus cum conſanguineis coniugis adhuc viuentis. Igitur qui hæc crimina admiſerunt, non tenentur petere diſpenſationem, antequam contrahant. *reſ.* 159.

297 Quando infans fuit domi baptizatus, ſi poſtea deferatur ad Eccleſiam vt cæremoniæ peragantur, qui inſtar patrimi tenet infantem, nullam cum eo contrahit cognationem ſpiritualem. *reſ.* 260. *pag.* 164. 165.

298 Quando quis rapuit virginem libidinis cauſa abſque intentione contrahendi matrimonium, poteſt cum ea validum contrahere matrimonium: quia decretum Concil. Trid. tantùm comprehendit raptum, qui fit contrahendi matri-

matrimonij causa; immò loquitur de eo raptu, per quem vis infertur puellæ, *res.* 261.

299 Affinitas orta ex copula fornicaria non impedit matrimonium post baptismum contrahendum: quia affinitas spiritualis non contrahitur inter infideles. *resol.* 262.

300 Licet infideli, dissoluto semel matrimonio cum fideli, ad aliud matrimonium transire: quia nulla lege prohibetur: non Ecclesiasticâ, nam Ecclesia nihil habet iurisdictionis in infideles; non naturali diuina, quia prius matrimonium supponitur dissolutum. *res.* 263.

301 Cæremoniæ in secundis nuptiis adhiberi solitæ non possunt temporibus ab Ecclesia prohibitis fieri: quia pertinent ad solemnitatem nuptialem, licet non adhibeatur benedictio nuptialis. *res.* 25. *pag.* 166.

302 Non videtur peccatum mort. tempore Aduentus,& Quadragesimæ traducere sponsam solemniter in domum sponsi, & celebrare conuiuia; sic enim consuetudine receptum est, conniuentibus Prælatis. *ref. 266. pag. 167.*

303 Tempore interdicti potest licitè contrahi matrimonium, etiamsi contrahentes sint specialiter interdicti; quia in illo interdicto non comprehenditur matrimonium, nisi exprimatur. *ref. 267.*

304 Non peccat, qui scienter contrahit cum excommunicato, nisi sit denuntiatus, aut notorius percussor clerici. *ref. 268.*

305 Matrimonium Catholici cum hæretico, etiam cum periculo peruersionis, est aliquando licitum ob grauem aliquam causam. *ref. 269. pag. 168.*

306 Non tenentur iterum coram

ram Parocho & teſtibus contrahere, qui ſemel coram illis contraxerunt, inualidè tamen ex defectu conſenſus, vel propter occultum impedimentum dirimens; ſed ſufficit vt ſecretò conſentiant, impetrata prius impedimenti diſpenſatione: ſi tamen ſubeſt periculum ne detegatur impedimentum, & probetur in foro externo, celebrandum erit iterum matrimonium coram Parocho, & teſtibus. 2.*part.tract.* 1. *Miſcell. reſ.* 5. *pag.* 42.

307 Non eſt peccatum mortale, ſi per extraordinarium coëundi modum aliqua pars ſeminis elabatur, dummodo retineatur alia, aut ſi non ita certum ſit fore vt proles ſuſcipiatur. Si autem vir in fine copulæ ſemen extra vas effundat, peccat mortaliter. At ſi vxor non conſentiat, non peccat reddendo, aut etiam petendo debitum, quia illi effuſioni non coo-

peratur. *ibid. ref. 64. pag. 72.*

308 Poteſt Epiſcopus aliquando diſpenſare ſuper impedimento dirimente, antequam matrimonium contrahatur, quando vrgentiſſima neceſſitas id exigit: quia impedimentum dirimens eſt de iure humano, ideoque ſicut Epiſcopus poteſt ex magna neceſſitate poſt contractum matrimonium, diſpenſare in impedimento dirimente, ex ſententia omnium DD. cur non poterit antea? *tract. 2. Miſcell. reſ. 19. pag. 84.*

309 Oſcula & tactus modo non ſint impudici, & abſit periculum pollutionis, inter ſponſos de futuro, excuſantur à culpa mort. quia cohoneſtantur à ſponſalibus. *tract. 3. Miſcell. reſ. 6. pag. 101.*

310 Non tenetur vxor pecunias per adulterium partas, marito, aut alteri reſtituere, quia damnum per adulterium illatum non eſt pecunia æſtimabile; neque le-

ges

ges adulterium prohibentes reddunt irritam illam pecuniarum acceptionem. *ibid. resol.* 7. *pag.* 102.

311 Delectatio de actu coniugij præterito, absente coniuge, immò etiam futuro, ac si actu esset præsens, modò absit periculum pollutionis, excusatur à culpa mort. quia delectatio sumit malitiam ab obiecto; at obiectum huius delectationis est licitum, ergo & licita delectatio. *ibid. res.* 36. *pag.* 114. 115. Absente tamen coniuge non licet libidinis causa seipsum tangere: quia hi tactus cùm neque fiant cum coniuge, nec ad finem coniugij referantur, non possunt esse coniugales. *ibid. res.* 37. *pag.* 115.

312 Si fœmina, postquam maritus semine intra vas emisso membrum extraxit, libidine incitata, tactibus se prouocet ad seminandum, non peccat mort.

 quia

quia est consummatio, & perfectio actus coniugalis. *ibid. resol.* 38.

313 Adulter qui suscepit prolem ex alterius vxore, non tenetur ad resarciendum damnum legitimis filiis, modò ipse non fuerit author suppositionis; quia huius damni sola adultera est causa, quæ prolem adulterinam supponit marito tanquam legitimam; adulter autem solùm tacendo permittit vt supponatur: neque est magis causa suppositionis, quàm abortionis, si adultera procuraret abortum inscio adultero. Ergo non ipse, sed mater tenebitur ad restitutionem. Tenetur tamen adulter restituere alimenta proli impensa à tertio ætatis anno, etiamsi non fuerit causa suppositionis. *ibid. res.* 55. *pag.* 121. 122.

314 Qui rem habet cum muliere in tertio aut quarto gradu coniuncta cum vxore, vel sibi affini in

in eodem gradu, non impeditur à petitione debiti: quia nullum ius Ecclesiasticum hoc statuit. 3. *part. tract.* 5. *res.* 19. *pag.* 184.

315 In dubio an dispensatio matrimonij sit valida, an subreptitia, præsumendum est esse validam: nam in re dubia iudicandum est in fauorem actus. *ibid. tract.* 6. *Miscell. res.* 9. *pag.* 238.

316 Coniugatus qui delectatur de copula imaginaria cum vxore aliena, non solum peccat contra castitatem, sed etiam contra iustitiam: quia coniux per matrimonium non tantùm corpus, sed etiam affectus coniugi obligauit. *ibid. res.* 73. *pag.* 253.

317 Qui sub spe, & conditione coniugij corrupit virginem, tenetur eam ducere, etiamsi fictè promisisset; nisi sit longè nobilior, aut opulentior, aut nisi aliquod legitimum impedimentum interuenerit, aut nisi contingat illam

postea cum alio fornicari, aut si putabat illam esse virginem, & in coitu deprehendat reuera non fuisse. *ibid. res.* 81. *pag.* 256.

318 Licet contrahere matrimonium cum impedimento dirimente, metu mortis aut grauis alterius damni, quo in casu matrimonium erit nullum. *ibid. res.* 83. *pag.* 257.

Scandalum.

1 FŒmina ornans se more patrio, etiamsi sciat fore vt ex hoc ornatu lasciuè ab aliquo ametur, non peccat mortaliter, cum sic ornata prodit in publicum: vtitur enim iure suo; licèt autem hoc ipsa præuiderit, tamen non intendit, neque est causa illius scandali nisi per accidens. 2. *part. tract.* 1. *Miscell. res.* 30. *pag.* 54. 55.

2 Qui obiicit alicui occasionem peccan

peccandi ob bonum finem, non peccat: v. g. cum maritus offert vxori occasionem adulterandi, vt illam in adulterio deprehendat; cum dominus dat famulis occasionem furandi, vt in furto deprehensi resipiscant: quia id non est formaliter cooperari ad peccatum; sed potius illud velle impedire. 3.*part.tract.*5.*resol.*18.*pag.* 184.

Simonia.

1 VEndere locum honoratiorem pro sepultura, non est simonia: non enim petitur pretium pro sepultura simpliciter, (nam hoc fieri nequit absque labe simoniæ) sed pro aptiori, aut honoratiori loco sepulturæ: cùm enim talis locus non sit necessarius ad sepulturam, non venditur sepultura, nec res sacra, sed tantùm situs aptior, & locus dignior

dignior; quippe hic honor potest pretio æstimari: sic vasa sacra, & capellæ venduntur ratione materiæ. 2. *part.tract.*1. *Miscell.res.*57. *pag.*69.

2 Non est simonia, si aliquid detur pro labore suscepto eundo & redeundo ad beneficij collationem, vel in compensationem alicuius damni quod inde patitur, aut alicuius lucri quod amittit. Si autem aliquid plus vltra æstimationem laboris detur, videndum est, vt liberaliter, & gratis detur absque vlla pactione, quæ à spiritualibus est planè remouenda. *ibid. tract.*2. *Miscell.res.*39.*pag.* 91.

Sodomia.

1 PVeri succubi, & muliebria patientes ante annum 14. non subiiciuntur reseruationibus Episcoporum: sicut enim minor

ætas in foro exteriori excuſat à pœna ordinaria, ita & in animæ iudicio. *2.part. tract.1. Miſcell.reſ. 1.pag.41.*

2 Probabile eſt Bullam Pij V. contra Clericos ſodomitas non eſſe vſu receptam, neque in foro conſcientiæ obligare. *ibid. tract. 3. Miſcell.reſol.61.pag.124.*

3 Etiamſi autem eſſet vſu recepta, Clericus fœminam cognoſcens in vaſe præpoſtero, illius pœnas non incurrit: quia non committit propriè ſodomiam; licèt enim non ſeruet vas debitum, ſeruat tamen ſexum. *ibid.reſ.62.pag. 124 125.*

4 Si Clericus rem habens cum maſculo, non emittat ſemen intra vas, non incurrit in pœnas Bullæ: quia delictum non eſt conſummatum, neque eſt propriè ſodomia. *ibid.reſ.63.pag.125.*

5 Incidunt in pœnas huius Bullæ Clerici tam agentes quàm patientes

tientes. Quia correlatiuorum eadem est ratio; nisi inuiti patiantur *ibid. resp.64.*

6 Clerici qui non nisi bis aut ter in sodomiam sunt lapsi, non incurrerunt pœnas Bullæ; quia Pontifex has pœnas infligit Clericis exercentibus sodomiam; non dicuntur autem exercere, qui semel atque iterum committunt. *ibidem, resp.65. pag.125.126.*

7 Clericus vitium bestialitatis exercens, in pœnas huius Bullæ non incurrit: quia bestialitas non est propriè sodomia, contra quam edita fuit hæc Bulla; lex autem pœnalis ad alios casus non expressos non est extendenda. *ibid. resp. 66. pag.126.*

8 Ante sententiam Iudicis declaratoriam Clerici sodomitæ pœnas Bullæ non incurrunt in foro conscientiæ: nulla enim lex pœnalis obligat homines ad se prodendum, & ad durissimam pœnam

nam in se exercendam. *ibid. res.* 67. Vnde sequitur Clericum exercentem sodomiam, si sit contritus, etiam retento beneficio, officio, & dignitate, omninò esse absoluendum. *res.* 68. *pag.* 127.

9 Clericus sodomita occultus, neque est suspensus, neque si celebret, incurret in irregularitatem: quia nullum crimen quamuis enorme, inducit irregularitatem, nisi sit notorium. *ibidem, res.* 69.

Sterilitas.

Si sterilitas est tanta, vt non compensetur ex fertilitate praecedentis & sequentis anni, facienda est agricolae aliqua remissio pensionis ad arbitrium boni viri; secùs autem si compensetur. 3. *part. tract.* 6. *res.* 17. *pag.* 230.

TESTA

T

TESTAMENTVM, Legatum.

1 POTEST Epiſcopus legatum pium commutare in æquale, vel melius, maximè cum conſenſu hæredum: neque in hoc caſu Epiſcopus infringit voluntatem teſtatoris, ſed interpretatur. 2.*part.tract.*3. *Miſcel.reſ.* 26.*pag.*110.

2 Quando relinquitur alicui legatum ſub conditione, v. g. *ſi non nupſerit*, vel *ſi religionem non ingrediatur*, poteſt legatarius in foro interiori, & exteriori accipere legatum, etiamſi non impleat has conditiones. Cùm enim hæ conditiones à iure meritò reprobentur, & pro non appoſitis habeantur, non tenetur eas ſeruare in

in conscientia : quippe regulanda est voluntas testatoris secundùm ius, à quo si deficiat, non est seruanda. 3.*part.tract.*5. *Miscell.resol.* 57.*pag.*200.

3 Quando incertum, cui ex duobus vel pluribus relictum sit legatum, tenetur hæres in conscientia illud inter eos diuidere, si in id consentiant. Sin testator legatum fecerit Ecclesiæ, v.g. D. Mariæ, & ibi sint plures Ecclesiæ eiusdem nominis; tunc cedit Parochiali, si sit eiusdem nominis, alioqui cedet maiori, vel pauperiori; si omnes sint æquales, dabitur Episcopo loci distribuendum, vt videbitur. *ibid. resol.* 58. *pag.* 201.

4 Tenetur hæres cùm primùm poterit, soluere legata. In illis autem soluendis, non est locus gratificationi, sed pro æquis portionibus sunt soluenda. *ibid. res.* 59. 60.

5 Donationes ad pias causas validæ sunt sine insinuatione, neque possunt reuocari, etiamsi ius ciuile illas annullet. *ibid.res.*107. *pag.*120.

6 Licet legatum debeatur in fine anni, tamen in causa pia debetur in principio: item legatum factum Ecclesiæ genericè, debet intelligi de optimis & pretiosissimis rebus. *ibid.tract.*6.*res.*29.*pag.* 233.

7 Qui sine vi & fraude curauit aliquod testamentum iam factum mutari,& alium hæredem institui, vel aliquid sibi, vel amicis relinqui,non tenetur ad restitutionem. *ibid.res.*33.*pag.*237.

8 Si quis vi, & fraude impediat, ne nepos filius spurij instituatur hæres ab auo, tenetur ad restitutionem: neque enim hic nepos filius spurij est incapax hæreditatis; quare qui per vim, aut fraudem aliò inflectit voluntatem eius

eius qui proposuerat illum scribere hæredem, facit illi iniuriam. *ibid.* Qui autem precibus, blanditiis & muneribus impedit, ne quis hæres instituatur, non tenetur ad restitutionem. *ibid.*

9 Amisso testamento, aut alio publico instrumento, non licet aliud simile confingere: quia eiusmodi falsificationes licèt nemini priuato faciant iniuriam, sunt tamen Reipubl. perniciosæ, ideo legibus seuerè prohibentur. *ibid. ref.* 56. *pag.* 247.

Testis.

1 QVando crimen est notorium, & publicum, sed ignoratur auctor, testis interrogatus à iudice non tenetur respondere; quia dubium est, an iudex iuridicè interroget, & probabilis sententia asserit ipsum non interrogare iuridicè, ac proinde ipsum

non eſſe ſuperiorem in hoc caſu: erit igitur teſti integrum vel manifeſtare, vel occultare veritatem. *2. part. tract.1. Miſcel. reſolut.63. pag.71.*

2 Non licet reo falſum crimen obiicere teſti, falſum, aut contra ordinem iuris teſtanti. *3. part. tract.5. Miſcell.reſ.4. pag.179.* Non enim habet ius defendendi ſe tali medio. *ibid.*

3 Teſtes priuilegiati tenentur reuelare crimen occultum ſui coniuncti, ſi non adſint alij teſtes, propter excommunicationem latam in aliquo monitorio. *ibid. reſ.63. pag. 202.*

4 Probabile eſt teſtem non teneri denuntiare crimen, quando ſcit nullum alium eſſe conteſtem; quia ex ſola ipſius depoſitione non poteſt reus condemnari, ſed tantum torqueri. *ibid. reſ.100. pag. 217.*

5 Teſtis iuridicè interrogatus, non

non tenetur ad reſtitutionem damni, quod ſequutum eſt ex veritate non manifeſtata: quia licet peccet contra charitatem & obedientiam, non peccat tamen contra iuſtitiam commutatiuam. *ibid. reſ.* 101.

6 Reo iam per alios teſtes conuicto, falſus teſtis ſuperueniens non tenetur ad reſtitutionem: quia non eſt cauſa efficax damni, quod prioribus teſtimoniis iam erat illatum. *ibidem, reſ.* 105. *pag.* 219.

V

VIRGO.

1 VIrginis corruptor, qui nullam vim adhibuit, aut dolum, ſed precibus, blanditiis, & perſuaſionibus illam indu-

xit ad consensum, non tenetur ad restitutionem, & quia preces, & suasiones augent potiùs, quàm minuunt voluntarium; nisi preces illæ essent adhibitæ ab aliquo, cui puella deberet reuerentiam, vt à domino, vel Principe; preces enim superioris inducunt metum. 2.*part.tract.*2. *Miscell. res.* 50. *pag.* 95.

2 Circa legata pro virginibus maritandis hæc sunt obseruanda: 1. legatum pro virgine maritanda non patitur commutationem cum alio pio opere. 2. legatum alicui puellæ nominatim relictum pro ea maritanda, illã sequitur, si ingrediatur religionem. 3. legatum pro virginibus orphanis maritandis potest dari habentibus parentes pauperes, & inutiles, nisi concurrerent simul virgines verè parentibus orbatæ. 4. legatum pro orphanis puellis maritandis, dari potest puellis expo-

sitis,

ſitis, quæ parentes ſuos ignorant. 5. legatum relictum pro virginibus maritandis poteſt tuta conſcientia retineri ab ea quæ habetur virgo, licèt ſit corrupta. 6. legatum relictum pro dotandis puellis, debetur puellis nuptis ſine dote, vel cum tenui dote, quia cauſa pietatis adhuc durat. 7. legatum relictum alicui puellæ pro dote, ſi factum ſit pro anima teſtatoris, ſi puella moriatur antequam nubat, non extinguitur, ſed debetur alteri puellæ pauperi. *ibid. reſ.* 52. *pag.* 967. Si quis legaret puellæ ſi nuſerit mille, ſin monaſterium ingrediatur bis centum; ſi monaſterium ingreſſa fuerit, mille conſequi debet. 3. *part. tract.* 6. *Miſcell. reſ.* 29. *pag.* 233.

Votum.

1 POst commutationem voti integrum eſt vouẽti redire ad prius votũ,etiamſi commutatio facta fuerit in melius:quia illa commutatio facta eſt in fauorem vouentis, ergo poteſt illi renuntiare. Si tamen vouens acceptaret commutationem ad maiorem Dei cultum,& honorem, non poſſet ad prius votum redire,quia commutatio facta eſt in fauorem Dei. *2.part.tract.2.Miſcell.reſol.8. pag.79.80.*

2 Poteſt à vouente fieri commutatio voti in bonum ęquale,modò certò conſtet eſſe æquale; nam ſi ſit dubium, non erit licita talis commutatio. *ibid. reſol. 9. pag. 80.*

3 Extra Iubilæum, & Bullam Cruciatæ, vota non ſunt commutanda etiã in bonũ æquale abſque iuſta

iusta causa : si tamen Sacerdos commutet votum in æquale sine legitima causa, peccabit tantùm venialiter,& valebit commutatio: quia abusus potestatis est in re leuissima, neque magnum detrimentum infertur cultui diuino. *ibid. res.* 10.

4 Potest confessarius etiam transacto Iubilæo commutare vota illius pœnitentis, qui Iubilæum consequutus est : quamuis enim opera in Bulla Iubilæi præscripta alligentur tempori designato, ita vt eo transacto fieri nequeant; tamen priuilegium commutandi vota, dispensandi,&c. non est addictum vlli tempori præfinito,vt constat ex tenore ipsius Bullæ, in qua cum est sermo de priuilegiis, additur hæc clausula(*absque vlla temporis limitatione.*) *ibid.res.* 11. *pag.* 81.

5 Quando quis virtute Iubilæi obtinuit commutationem voti, si

postea per negligentiam non est consequutus illud Iubilæum, valet commutatio. Quia summus Pontif. absolutè concedit potestatem absoluendi à reseruatis, & commutandi vota; ergo cùm legitimè facta fuerit hæc commutatio, ac proinde votum extinctum, absurdum est dicere postea non obtento Iubilæo prius votum reuiuiscere. *ibid. res.* 12. Neque obligatur is, qui virtute Iubilæi obtinuit commutationem voti, lucrari Iubilæum sub peccato mort. *ibid. res.* 13.

6 Qui fecit votum non solùm ingrediendi, sed etiam profitendi in quadam religione, si tempore nouitiatus videat eam sibi non esse accommodam; potest egredi: nam illud votum est intelligẽdum iuxta canones annum nouitiatus concedentes, vt si intra hoc tempus religio minimè placeat, integrum sit egredi. *ibidem, tract.*

3. *Mi*

3. *Miscell. resolut.* 10. *paginæ* 103.

8 Qui vouit B. Virgini *Pater* & *Aue*, vel *Salue Regina*, quotidie, & non recitat, non videtur peccare mort. quia vouens in materia tam leui non potuit se obligare ad peccatum mort. 3. *part. tract.* 5. *Miscell. resolut.* 24. *pag.* 187.

9 Omnia vota tam in sæculo quàm in nouitiatu emissa per solemne Religionis votum extinguuntur. Idem dic de iuramen 3. *part. tract.* 5. *resolut.* 65. *p* 250.

FINIS.

[illegible] ex dec[illegible] de petit. [illegible]
Ego Dan. [illegible] possessor [illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible] confessione, [illegible] absolucionem
sacramentales [illegible]
[illegible]
vel [illegible] vel [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] absolucionem [illegible]
[illegible]
[illegible]
vel [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

vlt necessitas ut
vt sic tel exprimi
te [illegible]
hat in capitula, [illegible]
cum de tractate [illegible]
[illegible]
licet ante [illegible]
necessarium ut tale [illegible]
sed suffficiebat ut [illegible]
sua [illegible]
aponit ut supra [illegible]
Dasyimus [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
tabula [illegible]
[illegible]
[illegible]
no aut. [illegible]
[illegible]
[illegible]
expositor [illegible]
[illegible]
[illegible]
cor [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]